JOSEPHI AURELII
DE
JANUARIO
REGII CONSILIARII
CARMINA
EDITIO NOVISSIMA
EMENDATIOR;

In qua plurima addita, quæ aut sparsim evagabantur, aut numquam edita.





NEAPOLI MDCCLXVII
ÆRE DOMINICI TERRES
TYPIS JOSEPHI RAYMUNDI
SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO

ERUDITO LECTORI

JOHANNES ANTONIUS SERGIUS,

JURECONSULTUS ET ADVOCATUS NEAPOLITANUS

S



A est nonnullorum in judicando perversitas, atque ita fero Musisque inimico animo insaniunt, ut nullum Jureconsultis cum poeticis mitioribusque studiis fœdus esse ineundum autument, indictâque causâ pronuncient. Hi quidem, quoniam meliori hominum sensu satis repelluntur, suâque tristitiâ puniuntur abunde, Diis suis iratis essent relinquendi. Verum instituti a me suscepti, in hac sapientissimi Jureconsulti Carminum quantivis precii editione 1 curanda, postulat ratio, ut ipso in operis vestibulo, vulgarem hanc bonisque perniciosam litteris opinionem paucis saltem evellere aggrediar argumentis.

Atque illud primum statuendum, quisnam numeris omnibus absolutus Jureconsultus sit existimandus. Si enim illum accipimus, virum agresti quadam doctrina squalentem; quique, ad tanti nominis tuendum decus, satis superque ducat, Juris artem ex inquinatis barbarorum haurire lacunis, & rabulam in foro tumidum ac ferocem agendo, miseris omnia garrulitatibus permiscere; næ ego cum hisce Poetarum hostibus in unam eamdemque pedibus etiam ibo senten-

A tiam.

1 Anno nimirum MDCCXLII

tiam. Quandoquidem vero non ita desipimus, & perfectum Jureconsultum illum animo effingimus, qui publici & privati, Romani ac patrii Juris sit peritus; quique, ut nunc plerumque mos obtinet, &, deleta Republica, sub Imperatoribus invaluit, non abhorreat ab Eloquentiæ cultu 1, ut possit nedum jus suum cuique tribuere, sed ab improborum etiam conatibus tueri ac defendere; dicam quod sentio, non modo non inutilis, sed perquam etiam necessaria Jurisprudentiæ cum lætioribus hisce litteris amica conspiratio merito est judicanda. Et sane, quid censores isti, vitio creati, reprehendere possint, prorsus non video, cum objiciam, Jus nostrum non ex insuavis sermonis quisquiliis, Gothorumque colluvie, sed e puris putisque latinæ linguæ fontibus defluxisse. Quod cum ita sit, quanam ratione poterit, non dicam imbibi, sed ne primoribus quidem labris degustari, nisi ipsamet Romanorum cogitandi forma, ac beati illorum sermonis veneres & lepores, quibus præsertim affluunt carmina, hauriantur penitus, & in succum veluti ac sanguinem convertantur? Unde etiam vera & absoluta Eloquentia vires & lumina, unde copiam ubertatemque desumet, nisi e poeticis libris ac monumentis? Si qui igitur sunt sacra facturi, puris sese abluunt undis; audebit ne quis illotis, ut ajunt, pedibus in Jurisprudentiæ & Eloquentiæ adyta penetrare; atque animo non præparato neque exculto augustioribus hisce sese initiare mysteriis? Cumque nemo Poetâ impensius, arti suæ modo velit consulere, humani pectoris intimos abditosque collustret recessus, ut affabre affectus exprimat imiteturque; quanam facultas Oratori ac Jurisperito utilior, quam quæ interiores motus vestigans rimatur atque excitat, ut quo velit; ad honesti cultum perducere possit & inflammare? Adhæc, si Jus

1 Inde *disertissimi* elogium veteribus JCtis frequenter adscriptum. Julianus *disertissimus Jurisperitus* in l. 5. C. de *Bon. quæ liber.* Ulpianus & Papinianus *viri disertissimi* l. ult. C. *de Instit. & substit.* Quod posteriorum Principum, Justiniani potissimum ætate viguisse, non est cur exemplis confirmem.

Jus Naturæ, & Gentium præsertim, ex populorum consensu deducitur moribusque; penes quosnam auctores, nisi apud Poetas hæc explicantur uberius, elegantioribusque coloribus depinguntur? Nonne, his potissimum facibus præeuntibus, magnus Hugo Grotius palmam omnibus in hac arena præripuit; quique hanc quoque Spartam exornarunt, Pufendorfius, & Barbeyracius? Neque id factum immerito, sed proprio jure: quem enim fugit, Poetas primos fuisse emendatores morum, societatis, religionis, & legum conditores?

Silvestres homines sacer interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ab hoc lenire tigres, rabidosque leones;
Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quo vellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis;
Oppida moliri; leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen divinis Vatibus, atque
Carminibus venit. 1

Neque vero hic mihi caperata fronte tristique supercilio Plato objiciatur, aut Lacedæmones; quod ille e commentitia sua Republica Poetas dimiserit; hi vero ne suas quidem aures carminibus personare paterentur: non enim Poeticen universam insectabatur Philosophus, non Lacedæmonii; sed eos dumtaxat, qui per fraudem atque impudentiam in Poetarum nomen invaserant; ut, suavis succi specie, longe lateque obscœnum effunderent virus, bonosque mores & religionem anilium fabularum nugis inficerent. Ceteroquin Plato hujusmodi laudis in soluta etiam oratione (quod miraberis) fuit studiosissimus 2. Hinc Thales,

A 2

1 Horat. in *Arte Poet.* v. 391.

2 In duobus tantummodo Dialogis, ceterorum fortasse brevissimis, quorum unus inscribitur Ἴων, alter Γοργίας, quinque & quinquaginta versus ex Homero Platonem adduxisse, compertum est. Immo & in soluta oratione

les, Parmenides, Pythagoras 1 aliique veteres Philosophi non modo Physicam, sed morum quoque Sapientiam carminibus condivere: & Terpander Antistæus, Clemente Alexandrino teste 2, Lacedæmoniorum leges metris devinxit. Quin ipsimet Charondas 3, & Solon numeris complexi sunt jura 4; & XII Tabularum leges a Romanis, *ut necessarium carmen*, addiscebantur 5. Poesis igitur a Philosophia non discessit, nisi inclinatis deterioribusque temporibus, cum flos ille elegans nec delibatus græcæ latinæque sapientiæ jam emarcuisset. Sed non ita Oratori simul ac Jureconsulto adhæret hæc facultas, ut non ad illum quoque peculiari nomine pertineat, qui jurisdictioni præest, & cui sententia in causis controversiisque sit ferenda. Ac profecto, si Poetarum animis quidam insunt sublimes spiritus, & sacer impetus, qui ingenio facem præferant, vividoque conatu impellant, quin & futuri etiam caliginem discutiant & recludant; hujusmodi sane collustrata mens Magistratui apprime utilis, ut rerum nexus & circumstantias celeri assequatur motu, futurosque etiam eventus possit conjicere, iisque judicandi lege præmature occurrere.

Quod si non argumentorum rationumque pondere, sed testimoniis exemplisque sit disputandum; locupletissimos excitabo testes, Oratores cum græcos, tum latinos; ac Demosthenem præsertim, M. Tullium, & C. Plinium Cæcilium Secundum appellabo. Nonne igitur De-

tione poetico stilo usum fuisse, satis liquet. Videsis Cl. Riccium, *Dissert. Homeric.* V *de Platone Homerum e Republica dimittente*; & gallicas Dissertationes in Memor. Acad. Inscript. tom. III *Parallele d' Homere & de Platon*, & *Dissertation sur l' usage, que Platon fait des Poëtes*.

1 Diog. Laert.

2 Στρωματέων A, pag. 308.

3 Bentlejus in *Apologia Dissertationis de Epist. Phalaridis*, anglice edita.

4 Plutarchus in ejus vita nonnulla carmina in medium profert, quibus Atheniensium leges aggrediebatur.

5 Cic. *de Legib.* II, 23. Budæus ad l. 2. §. 46 de O.J.

Demosthenes 1 ad Euripidis, & Sophoclis carmina sese conformavit? Et quisnam M. Tullii, qui summus Orator & in Jure versatus 2 non mediocriter, conatus ignorat, ut hanc etiam lauream assequeretur? *Est enim*, ut ipse ajebat 3 *finitimus Oratori Poeta, numeris adstrictior paullo, verborum autem licentiâ liberior; multis vero ornandi generibus socius ac pene par*. Plinii vero, qui sollers Orator fuit & perpolitus, *Epistolas* relegenti apparet protinus, quantos poeticos spiritus animo conceperit; ut non prosâ tantum eloquentiâ, sed numeris adstrictâ quoque, pro temporum conditione, præstaret; & quam impense inculcaverit Oratori hujusmodi exercitationem, *Volo*, Cornelio Fusco scribens 4, *interdum aliquem ex historia locum apprehendas: volo epistolam diligentius scribas. Nam sæpe in orationes quoque non historica modo, sed prope poetica descriptionum necessitas incidit; & pressus sermo purusque ex epistolis petitur. Fas est & carmine remitti, non dico, continuo & longo (id enim perfici nisi in ocio non potest) sed hoc arguto & brevi, quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit. Lusus vocantur: sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quam seria, consequuntur.* Mox, paucis interjectis: *Itaque summi Oratores, summi etiam viri sic se aut exercebant, aut delectabant; immo de-*

 lecta-

1 Orationem Demosthenis, non ob delectum verborum, sed ob sermonis μυσικὴν, sive ἁρμονίαν, Sirenibus fuisse ab Æschine comparatam, auctor est Dionys. Halicarnass. περὶ Συνθέσεως ὀνομάτων.

2 Quintil. *Instit. Orat.* XII, 3. diserte scribit: *M. Tullius non modo inter agendum numquam est destitutus scientia Juris; sed etiam componere aliqua de eo cœperat.* Quin ipsemet Cicero de *Orat.* I, 42. sub persona *Crassi* pollicetur, se Jus Civile in artem redacturum; ac in libris de *Rep.* & de *Legibus* permulta affert ad Romanum Jus spectantia; quamvis Jus non fuerit professus. Pro L. Murena igitur, causæ inserviens, contraria disputavit.

3 De Orat. I, 16.

4 *Epist. VII*, 9.

lectabant exercebantque. *Nom mirum est*, *ut his opusculis animus intendatur*, *remittaturque: recipiunt enim amores*, *odia*, *iras*, *misericordiam*, *urbanitatem*, *omnia denique*, *quæ in vita*, *atque etiam in foro causisque versantur*. Adversus vero Poeseos obtrectatores ita se communit exemplis 1 *An ego verear* [*neminem viventium*, *ne quam in speciem adulationis incidam*, *nominabo*) *sed ego verear*, *ne me non satis deceat*, *quod decuit M. Tullium*, *Cajum Calvum*, *Asinium Pollionem*, *Marcum Messalam*, *Q. Hortensium*, *M. Brutum*, *L. Syllam*, *Quintum Catulum*, *Quintum Scævolam*, *Servium Sulpitium*, *Varronem*, *Torquatum*, *immo Torquatos*, *C. Memmium*, *Lentulum*, *Gætulicum*, *Annæum Senecam*, *&* *proxime Verginium Rufum*: *&*, *si non sufficiunt exempla privata*, *Divum Julium*, *Divum Augustum*, *Divum Nervam*, *T. Cæsarem*? *Neronem enim transeo*, *quamvis sciam non corrumpi in deterius*, *quæ aliquando etiam a malis*, *sed honesta manere*, *quæ sæpius a bonis fiunt*. Plinio subnectam M. Fabium Quintilianum 2, qui plurimum pariter, ex Theophrasti sententia, eamdem Oratori conferre scribit Poetarum lectionem: *Namque ab his & in rebus spiritus*, *& in verbis sublimitas*, *& in affectibus motus omnis*, *& in personis decor petitur*; *præcipueque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia*, *optime rerum talium blanditiâ reparantur*. *Ideoque in hac lectione Cicero requiescendum putat*. Idemque Quintilianus, sive quisquis est auctor Dialogi de *Oratoribus* 3: *Exigitur enim jam ab Oratore etiam poeticus decor*, *non Attii*, *aut Pacuvii veterno inquinatus*, *sed ex Horatii*, *& Virgilii*, *& Lucani sacrario prolatus*. Quibus elegantiarum venustus Arbiter adstipulatur 4:

det primos versibus annos,
Mæoniumque bibat felici pectore fontem;
Mox & Socratico plenus grege, *mutet habenas*
Liber, *& ingentis quatiat Demosthenis arma*.

Hinc

1 *Epist. V*, 3.
2 *Instit. Orator.* X, 1
3 Sive de *Causis corruptæ Eloquentiæ* 24.
4 T. Petronius Arbiter in *Satyric.* 5.

Hinc Romana manus circumfluat; & modo grajo
Exonerata sono, mutet suffusa saporem;
Interdum, subducta foro, det pagina versum. 1

Inde legimus, M. Annæum Lucanum, D. Junium Juvenalem, C. Silium Italicum, & Aurel. Prudentium Clementem, non carminum modo, sed forensis etiam Eloquentiæ viribus inclaruisse. At enim objecerit quispiam, nimis grave onus imponi Jereconsulto: verendum idcirco, ne rerum multitudine obruto non vacet, Themidi atque Apollini simul litare.

Verum enim vero aut me omnia fallunt, aut omnium stultissimæ hæ nugatorum voces sunt reputandæ. Vacavit ne, ut ceteros præteream, M. Tullio Ciceroni, agendarum causarum gravi ingentique cura districto, inter Catilinæ sicas, inter Clodii tribunicios furores, cum tota Reipublicæ Romanique Orbis moles in ejus sapientiam incumberet; tantum operæ mansuetioribus studiis impendere; non vacabit Juri operam dantibus, hisce simul litteris mentem colere atque exornare? Non vacabit quidem, sed non iniquis temporis angustiis; verum, quod ocio turpique inertia reprehensores illi ut plurimum diffluentes, alea, spectaculis, nocturnisque de more cœtibus & comessationibus, voluptatum illecebris & lenociniis, florem infeliciter conterunt juventutis. Quod si oscitantis sapientiæ (stultitiæ an nugacissimæ?) eos lubido incesserit, doctrinarum nescio quibus epitomis et lexicis, Circæis veluti poculis, deliniti, triduo, si Diis placet, se fieri jactitant Philosophos et Jureconsultos. At quisnam tam sui admirator fuit, quisnam eo arrogantiæ processit, ut immortalitatem, quam studia pollicentur, desidiâ allequi posse confidat? Instar Helenæ, quam in rosa cubantem,

 prop-

1 Ita legunt Heinsius & Cl. Burmannus, non vero, *Det pagina cursum: Quid enim quæso* (inquit Burmannus) *notat, Det pagina cursum? Idem autem innuit noster infra* 118: *Sic forensibus ministeriis exercitati frequenter ad carminis tranquillitatem, tamquam ad portum faciliorem, refugerunt.*

propter formæ elegantiam, easdem immortalium sedes, quas fortis Hercules, tot tantisque exantlatis laboribus, adscenderat, scribunt fuisse assequutam.

Quæ cum ita sint, mirum profecto haud erit, si Juris nostri *lumina* et *numina* (utar verbis Antonii Fabri 1) veteres scilicet Prudentes poetica etiam floruisse exercitatione, exploratum sit. Appius Claudius Cæcus, *callidus sollersque Juris atque Eloquentiæ Consultus* 2 Censor primum, tum Romanus Consul, æqui bonique scientiam, qua maximopere viguit, numerorum cultui conciliavit; et carmina Pythagoreorum doctrinâ imbuta conscripsit 3. Hac pariter gloriâ enituisse accepimus P. Quintum Scævolam 4, a Cerbidio Scævola diversum, et Q. Fabium Labeonem, cujus operâ ipsummet usum fuisse Terentium in Comœdiis concinnandis, scribit Donatus 5. C. vero Trebatio Testæ, singulari memoria ac legum cognitione prædito, Ciceronis, qui eidem Topica inscripsit, et Q. Horatii Flacci familiaritate 6 conspicuo, suus etiam in hisce Musarum deliciis patuit locus amplissimus. Quid vero hic memorem Servium Sulpicium, *longe omnium non ejusdem modo ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in Jure Civili principem* 7: ita ut illius magnum usum et apud Scævolam, et apud alios, artem vero in uno Sulpicio fuisse demiretur Tullius? Hic certe Jurisprudentiæ *adjunxit etiam & litterarum scientiam, & loquendi elegantiam* 8, quam ex Poeseos fonte, utcumque eâ lasciviret, hausit expressitque 9. Jurisconsultus tandem et Poeta fuit

1 In Præfatione Cod.
2 Liv. X, 22.
3 Cic. *Tuscul.* IV, 2.
4 Plin. *Epist.* V, 3. Pancirol. de *Clar. Leg. Interpr.* I, 9.
5 Æl. Donat. sive, ut aliis videtur, Suetonius Tranquillus in *Vita Pub. Terentii*.
6 *Satyr.* II, 1. ad Trebatium scribit; eumque v. 12. *patrem optimum*, & v. 78. *doctum* appellat.
7 Cic. in *Brut.* 41.
8 Ibid. 42.
9 P. Ovid. Trist. II v. 441.

Nec minus Hortensi, nec minus improba Servi
Carmina. Quis dubitet nomina tanta sequi?

fuit Herennius Modestinus, quem ajunt περιοχὰς Virgiliano operi adjecisse 1. Sed hujusmodi suaviloquentiæ studium omnibus fere nostris Prudentibus commune fuisse, ex eo pariter pronum erit colligere, quod in ipsis de Jure responsis poeticam haud raro dictionem, græcam interdum σύνταξιν usurpaverint; versus effuderint 2; ad Ennii 3, Lucretii 4; & Virgilii 5 carmina adluserint; & maxima semper apud eosdem Homeri fuerit auctoritas 6. Quinimo

1 Joh. Bertrandus de *Jurisperit.* I, 31. Gulielm. Grotius de *Vit. JC.* II, 12. Scip. Gentil. in *Parerg. ad Pand.* II, 31.

2 Adeas, si lubet, Scipionem Gentilem in *Parerg. ad Pandect.* II, 31. qui productis exemplis. hæc confirmat.

3 Pomponius l. 2. §. 38. de O. J. *Sextum*, inquit, *Ælium etiam Ennius laudavit*: illum Ennii versum intelligens, cujus sæpe meminit M. Tullius, *Egregie cordatus homo, catus Æliu' Sextus*.

4 Ulpianus l. 23. ad *L. Jul.* de *Adult.* dum inquit: *Labeo quoque ita probat; & Pomponius scribit, in ipsis rebus Veneris deprehensum occidi; & hoc est quod Solo, & Drato dicunt* ἐν ἔργῳ frequentem Lucretii dictionem usurpat II, v. 173.

Ut res per Veneris blanditim sæcla propagent.
& ibid. v. 922.

5 Virgilii meminit Marcianus, de *cenotaphio* respondens l. 6. §. fin. de *Rer. divis.* Florentinus l. 65. de *Verb. Oblig.* Leo quoque & Anthemius Impp. in l. 31. C. de *Episc. & Cler.* Virgilianum illud, *Auri sacra fames*, usurparunt.

6 Homeri versus. de permutatione & emtione adducit Paullus l. 1. §. 1. de *Contrah. emt.* & Imp. Justinianus *Instit.* III, 24. §. 2. *de Emt. & vend.* de Mortis causa donatione Marcianus *l.* 1. eod. tit. Quin idem Justinianus *Instit.* II, 7. §. 1. ipsa Homeri carmina profert. De grege ipsemet Marcianus *l.* 65. §. 4. *de legat.* 3. De nominibus affinitatis Modestinus l. 4. §. 6. de *Grad.* De amore inter conjuges, & de ma-

imo ipso etiam in Canonum Syntagmate Poetarum interdum carmina occurrunt 1. Sapienter igitur Juris Interpretibus in hæc pariter studia incumbere, apprime necessarium visum fuit.

Jam Bononiensis Schola legum scientiâ, ut ea tempora, celeberrima evaserat; cum Cinus Pistoriensis enituit, Jurisprudentia non minus, quam etrusca Poesi spectatissimus; adèo ut Franciscus Petrarcha, etruscæ fidicen lyræ, non semel hoc eum potissimum nomine commendaverit 2. Cum vero mox in Italia humanitatis do-

matrimonio Ulpianus l. 13. §. 1. ad *L. Jul. de Adult.* De Exsilio voluntario Claudius Saturninus l. 16. §. 8. *de Pœn.* De Venenis Cajus l. 236. de V.S. Ulyssis lecti, ab Homero descripti, memor est Papinianus l. 9. §. 1. de *Supell. legat.* In se, pro suo more, deducit Accursius in d. l. 6. de *Rer. divis. Quod auctoritates Poetarum sint in causis allegandæ*. Et Franciscus de Petr. *Festiv. Lect.* III, 12. Accursii loca aggerit, in quibus Poetarum versibus usus est.

1 In c. *Nec mirum* 13. §. *Magi* 26. q. 5. afferuntur versus Lucani *Pharsal.* VI, 457. *& seq.*

Mens hausti nulla sanie
polluta veneni.
Incantata perit.

In c. *Legimus* 30. dist. V. de *Consecrat.* Irridet *Horatius appetitum ciborum, qui consumti relinquunt pœnitentiam*, c. *Numquam* 33. ibid. Virgilii versus Georg. I, 109. adducuntur:

Ecce supercilio clivosi tra-
mitis undam
Elicit: illa cadens raucum
per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque aren-
tia temperat arva.

Et Gregorius IX Decretal. V cap. *Forus* 10. de V. S. *Lis autem à contentione limitis primum nomen sumsit, de qua Virgilius,*

Limes erat positus. &c.

Æneid. XII, 898. versum illum intelligens

Limes agro positus, litem
ut discerneret arvis.

2 In suis etruscis Poematiis, 71.

Piangete, o donne, e con
voi pianga Amore, & 246.
Sennuccio mio, benchè doglioso e solo.

doctrinæque lux refulsisset, quisnam, nisi Andreas Alciatus signum universæ Europæ sinceræ Romanarum legum interpretationis extulit, qui poeticis studiis summopere fuit subactus & enutritus? Neque vero fusius hic recensebo, quantum fuerint hisce sacris exercitati majorum gentium Juris Interpretes; Antonius nempe Goveanus, Gulielmus Budæus, Antonius Augustinus, Petrus Pithœus, Stephanus Forcatulus, Janus Gruterus, Obertus Giphanius, Conradus Ritershusius, Hugo Grotius,

Qui genus humanum ingenio superavit, & omneis
Restinxit stellas, exortus uti ætherius Sol 1,

M. Antonius Muretus, Nicolaus Rigaltius, Fridericus Brummerus, Jacobus Augustus Thuanus, Scipio Gentilis, Hermannus Vultejus, Ægidius Menagius, & egregia postremis temporibus Italiæ decora et ornamenta, Benedictus et Josephus Averanii 2, aliique hac gloria florentes, quorum laudes ingenii culpâ non deteram.

Si vero arguculi isti contemtores tenebrionesque, qui ubi se in Epicuri 3 compulerint gregem, tanta in rem poeticam diffusum animum habent improbitate, velint, ut in medium conferam magna Neapolitanæ gentis nostræ Jureconsultorum nomina; producam ac recensebo perquam lubenter. Atque, ut omittam Gofredum Beneventanum 4, et Petrum de Vineis 5 sub Friderico II Imperatore, qui Neapolitanum Lyceum excitavit 6, insignes; vix, sub Alphonso I Aragonio

1 T. L. Carus III, v. 1056.

2 Horum omnium exstant opera immortalitati tradita; ubique gentium elogia leguntur.

3 Inter Poeseos vituperatores Epicurus agmen ducit. Cic. de *Fin.* I, 5. Epicurum sequuntur omnes, qui in ejus hortis gregatim pascentes, & irato Apolline nati ne versum quidem emiserunt.

4 Franc. de Petris loc. laud. n. 16.

5 Anno MCCXXIV *Histor. Civil. Regn. Neap.* XVI, 4.

6 Petr. de Vin. *Epist.* III, 10. 11. 12. & 13.

gonio, Neapoli *Antoniana* Academia fuit ab Antonio Panormita instituta, in quam Jovianus Pontanus ipsius alumnus successit; cum repente, veterno quasi excusso, profligata barbarie, lætior et cultior litterarum facies apparuit; ingenuæque Artes in hanc Græcorum quondam florentissimam pacis studiis civitatem, splendidæ ac triumphantes, jure veluti postliminii, remigrarunt. Uberior inde atque auspicatior Poetarum et Jureconsultorum celebritas exstitit: quos inter ipse Antonius Panormita 1, Jovianus Pontanus 2, Chariteus 3, Hieronymus Carbo 4, Franciscus

Ælius

1 Antonius de Bononia, *Panormita* dictus, qui a Pontano *Amor.* I appellatur

decus elegantiarum,
Atque idem pater omnium leporum,

fuit Poeta *laureatus*, & R. Cameræ (sic vocant) Præses. Toppi de *Orig. Tribunal,* IV, 10. n. 3. & 4.

2 Johannes Pontanus, *Jovianus Pontanus* Academico more dictus, egregius Poeta, Ferdinandi I Regis a secretis, & ab eodem R. Cameræ Præses creatus, ac postmodum Magni *Camerarii Locumtenens* anno MCCCCLXXIX. Topp. ibid. 13. n. 20. ex monumentis *Archivii* Regiæ Cameræ.

3 Charitei (nomine ne, an cognomine ita appellati, incertum) exstant carmina. Vide Crisp. & Cl. Joh. Antonium Vulpium in *Vita Sannaz.* Pontanus illi inscripsit librum de *Splendore*. Regis item Ferdinandi I a secretis fuit. Topp. in *Biblioth. Neapolit.* pag. 314. & Nicod. *in Addit.* pag. 58. Dum vero Rex Ferdinandus II Neapolim anno MCCCCXCV adivit, medius inter Piscariæ Marchionem & Chariteum equitavit, *Tutini dell' Orig. de' Seggi di Napoli pag.* 225. Togæ honore se fuisse ornatum, ipsemet Chariteus in suis Etruscis carminibus satis innuit 204.

De la Monica sterpe eximio honore
Ferrando, di virtù virile ornato,
Tu con la lanza in mano, ed io togato
Fummo obsequenti a i Re pien di valore.

4 Hieronymus Carbo, Poeta

Ælius Marchesius, 1 aliique, lauro non tantum, sed togæ insignibus cohonestati. Etsi vero posterioribus temporibus harum litterarum decus fuerit imminutum; revixit tandem sub Carolo V, Imperatore: cujus rei, posthabitis aliis, luculentissimum testem producam Scipionem Capycium, qui Carolum, Neapolitanum Lyceum invisentem, disertissima oratione excepit, et ab eo in Senatorum numerum fuit adlectus 2. Ac, quamvis rursus inscitiæ caligo, communis fati acerbitate, cunctam Europam invasisset; emicuerunt tamen inter tenebras homines non omnino inglorii neque obscuri, Juris et Poeseos decus affectantes; quos inter Petrus La-Sena, Franciscus de Petris, et Laurentius Crassus. 3

Ve-

Poeta et Jureconsultus. Borrel. in *Vind. Neap. Nobilit.* ad Æl. Marchef. de *Neapol. famil.* pag. 53. in familia de *Carbonibus*. Exstat ad Carbonem Elegia Pontani *Eridan.* I

Fictilibus si cœna placet tibi, candide Carbo,
Cœna parata tibi est, ruraque nostra patent.

in cujus fine

Tu modo linque forum, linque & vadimonia, Carbo,
Tantisper, tibi dum rustica cœna datur.

1 Franciscus Ælius Marchesius poetico simul & legum studio excultus. Borrell. in adducti libri præfatione. Illius tumulo Pontanus epigramma inscripsit, cujus ultima carmina

Hoc illi meritum Musæ post fata rependunt.
O Scriptor, latia nobilitate lyra.

2 Scipio Capycius, Juris Antecessor in gymnasio Neapolitano, & in foro Senator egregius. *Hist. Civil. Regn. Neap.* XXXII, 8.

3 Floruerunt hi scilicet, compluresque alii in *Ociosorum* Academia, quæ, ut ea ferebant tempora, sub Johanne Baptista Mansi, & Marino, Neapoli inclaruit. Vide Latinum Poema Johannis Baptistæ de Alexandro, qui tribus hæc libris complexus est; cujus meminit antiquitatum nostrarum investigator

Verum, inclinante superiore sæculo, nova quædam apud nos est reddita vita doctrinis. Emersit tandem prisca Sapientiæ dignitas, et ingens Jureconsultorum ac Poetarum ubertas, qui utramque Eloquentiam, unde fuerat a barbaris dejecta, restituerunt et amplificarunt abunde. Atque, ut alios omittam, eosque dumtaxat recenseam, qui Jurisprudentiæ carminum quoque cultum adjunxerunt; tunc temporis Carolus Buragna, cui revocatam etruscam, latinamque Poesim Neapolis referre debet acceptam, Nicolaus Caravita, Franciscus Nicodemus, Januarius de Andreis, Cæsar Natalis, Vincentius Vidmannus, Carolus Susanna, Seraphim Biscardus, Cajetanus Argentius (cui quando ullum Jurisprudentia interioresque litteræ invenient parem?), sapientissimus J. Vincentius Gravina, Carolus Majellus ὁ πάνυ, Dominicus Aulisius, Alexander Riccardus, Basilius Jannellus, Joseph Macrinus, Xaverius Pansutus, Joseph Valletta, Nicolaus Capassus, Nicolaus Amenta, Hyacinthus Christophorus, Dominicus Gentilis, aliique, nostrâ aut patrum nostrorum memoriâ, severa legum studia, quibus causarum patrociniis, judicandi, aut docendi munere distinebantur, carminibus etiam insigni cum laude leniverunt. Atque hic mihi viventium Jureconsultorum lætior exundansque seges suboriretur, si et eos, qui in vivis agunt, immortalique fama enitent, vellem nomine percensere. Verum illorum modestiæ ingenuique pudoris ratio haud patitur. Adsunt tamen togæ pacisque decora quamplurima, quæ non minus Poetices, quam Juris egregia cognitione & gloria sæculis canescent innumerabilibus 1. Jurisprudentia vero non adeo ingrati animi vitio laborat, ut poeticæ rei suas etiam opes non commodet, illamque mutuo fœdere non satagat exornare. Ac equidem, si per temporis angu-

gator doctissimus Joh. Bernardinus Tafurius, *Delle Scienze, e dell' Arti inventate, illustrate, ed accresciute nel Regno di Napoli*.

1 Plura de his dabimus in *Litteraria Historia Regni Neapolitani*, quam meditamur; si tamen per fori curas dabitur.

angustias mihi liceret, hoc collatis testimoniis facili negocio evincere studerem. 1

Quod si horum omnium, quæ usque adhuc sunt disputata, præsens vivensque argumentum requiratur, en tibi, erudite Lector, Josephi Aurelii de Januario tres *Carminum* libros. Hic in Jureconsultorum tantum promicat censu, ut, nullis laudum indigens præconiis, nativis propriæ virtutis coloribus, non fucatis neque adscititiis, sit abunde illustris. Ut tamen iis, quæ confirmanda suscepi, velificer egregie; hic equidem tacitus non prætcribo, summam præclarissimamque in eo Juris, Eloquentiæ, ac Poeseos enitescere coitionem. Quod ad Jurisperitiam spectat, quis in hisce studiis adeo est hospes & peregrinus, ut eum ignoret esse hujus Artis perquam consultissimum; neque extima quadam contentum aut circumforanea cognitione, in sanctiores illius felici conatu penetrasse recessus: & quicquid in Jure latitat, ab ultima scitu dignum antiquitate, sollerti acrique ingenio eruisse; ut non jejunam ac sterilem, sed græcis romanisque lautitiis splendide locupletem legum cognitionem in fori aciem exercitationemque deduceret. Obstupuit proinde Neapolitanus Senatus ipsiusmet miram in dicendo vim, copiam atque ubertatem, naturali quadam pulcritudine exsurgentem. Quam vero expromta, ac pene sponte sua diffluens, in eo adsit scribendi facultas; argumento satis superque esse possent Orationes, Dissertationesque, quas pro graviorum causarum, Patriæ præsertim, patrociniis latino etruscoque sermone conscripsit, nisi *Jurisconsultorum* exstaret *Respublica*,

1 Unus omnium instar esse posset Q. Horatius Flaccus, in cujus carminibus tanta Juris Civilis emicat cognitio, ut eum nonnulli Jureconsultorum albo adscribere non dubitarint. Vide Cl. Hambergeri *Opuscula ad elegantiorem Jurisprudentiam pertinentia*, cum Præfatione de *Jurisprudentia Q. Horatii Flacci*, quam horum sacrorum mystagogus egregius Joh. Georgius Estor adornavit, Lips. ann. MDCCXL.

ea, æternum cultioris Juris, Eloquentiæ, Poeseos, ejusque laudum monumentum. Cujus libri adeo protinus ne ium in Italia, sed in eruditiori Europa universa, ingens fama percrebuit, ut Lipsiæ post paucos annos typis recusus, celeberrimi Ottonis Menckenii curâ, ab eodem totius Germaniæ lumine ipsimet Auctori singulari fuerit exemplo inscriptus ac dedicatus. Quæ vero Menckenius in Epistola sit præfatus; quod fuerit doctissimorum Virorum, qui Eruditorum Acta Lipsiæ quoque pertexunt, candidum judicium; quid de eo judicaverit Italiæ nostræ alter Varro, Ludovicus Antonius Muratorius, pronum tibi, benevole Lector, erit dignoscere ex eorum scriptis; quæ idcirco hic tibi sisto, quod, vix illis acceptis, felici carminis œstro rescripserit Auctor. Nec vero intrà solos Italiæ, Germaniæque fines sese *Respublica* continuit; sed latius prætergressa, quantâ laudum copiâ a Batavis fuerit excepta, luculenter testatur eruditissimus Jacobus Philippus Dorvillius, qui in epistola ad clarissimum nostrum Franciscum Vallettam, Amstelodami data Nonis Juliis MDCCXXXVI hæc habet: *Cl. V. Jos. Aurelii de Januario Respublica JCtorum non mihi tantum, sed nostratibus omnibus egregie placuit; utpote in qua & non vulgaris eruditio ubique effulgeat; & lector semper novis doctrinæ condimentis ad finem usque libri excipiatur. Viro præstantissimo precor meo nomine de præcellenti Opere gratuleris.* Quinimo in ipsomet nuperrimo libro Jureconsultissimi Heineccii, cui *Fundamenta Stili cultioris* nomen fecit, *Reipublicæ Jurisconsultorum* lectio studiosæ juventuti, ad stili cultum & nitorem, commendatur 1. Nos igitur in tanto litterarum lumine illum non demiremur, tantique ingenii pignora avidissime non exosculemur? At non usque adeo caligamus; non usque adeo nunc

1 In *Nova Præfatione* cultioris hujusmodi libelli, auro contra non cari, Lipsiæ ann. MDCCXXXVI curata hæc habes, *part. II. cap.* 4. *Commendanda Josephi Aurelii de Januario Respublica JCtorum, cujus editio secunda prodiit Lipsiæ* MDCCXXXIII, 8.

nunc litteraria noſtra gloria peſſumdata eſt ac conſepulta, ut eum, tamquam firmum Juriſprudentiæ, Eloquentiæ, politioriſque Litteraturæ, quin tamquam ingens Juſtitiæ columen, non ſuſpiciamus. Cum enim ab acerrimo ingeniorum æſtimatore, Rege noſtro CAROLO BORBONIO, qui ad Regni moderationem Sapientiam ſociam adſcivit & adminiſtram, Neapoli Sexvir ſlitibus judicandis fuerit electus; incredibile eſt, quanto laudum, & juſtitiæ cultu niteat ac efflorefcat. Mihi certe, de eo, quod de Ariſtone Plinius ſcripſit 1 potiori jure videtur eſſe pronunciandum: *Nihil eſt illo gravius, ſanctius, doctius . . . . Quam peritus ille & privati Juris, & publici! quantum rerum! quantum exemplorum! quantum antiquitatis tenet! Nihil eſt, quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quæro, ille theſaurus eſt*. Sed, ut ad mitiora ejuſdem ſtudia deveniam, quantos poeticos ſpiritus Auctor pectore & mente conceperit, quam ſubitâ, latinâ potiſſimum musâ, effuderit carmina, ipſamet *Reſpublica*, quæ iis opportune ac jucunde perſonat, teſtatur egregie. Verum cum non omnia illic exſtarent, ſed in variis diſpartita vagarentur libris, dolebam atque angebar vehementer, quod non hæc, in unum collecta, debita luce perfruerentur. Æſtuabam vero magis hoc deſiderio, & ſollicitabar cura, quod eum ſcirem, cum ſuperiori anno, expediendi negocii cauſa, ad Brutios acceſſiſſet, nonnulla de Magiſtratus munere ſubſecivis horis poetice effudiſſe. Quid vero conſilii caperem, cum huic Collectioni ipſiuſmet ingenua modeſtia ſevere obſiſteret? Animum prorſus deſpondiſſem, niſi hujuſmodi Carmina dolo bono & innocua fraude in dias luminis oras edenda dediſſem.

En igitur meis ac tuis deſideriis, Lector, abunde ſatisfactum. Opus in tres libros diſpenſatur. Exhibet primus nonnullos Elegos, quibus mira perſpicuitate ac ſuavitate Magiſtratus officia complectitur, quem idcirco *Magiſtratus* nomine viſum eſt inſcribere ac nuncupare. In hoc autem argumento egregius Auctor ita verſatur, ut, in ea inqui-

 rens,

1 *Plin. Epiſt.* I, 22.

rens, quæ ad perfectum Magistratum informandum præclare conducunt, in angustiora Philosophiæ sacraria penetret; atque in minutiora quæque ejus officia ita cum dignitate descendat, ut confestim ad ipsiusmet sublimiora munera adsurgat. Omnia vero ea ordinis ratione disponit, ea perspicuitatis luce explicat, ut si liberam orationem quispiam alius adhibuisset, aptius aut concinnius neutiquam certe complecti potuisset.. Adhæc, ipsamet argumenti in Poesi novitas, summam operi afferens laudem, lectorem allicit & detinet jucundissime. Quibus omnibus cum accedat insuper veritas, & utilitas, egregia decora, Poematiis proprio jure adhærentia 1; quæque si libros perpetuo comitarentur, eorum ingenti strue, ac insana mole, summo rei litterariæ incommodo, quotidie non obrueremur; equidem prorsus non video, quidnam perfectius hoc in genere effici potuisset. Excipit hunc librum alter, cui *Nuptialia* nomen indiderunt, ex eo quod Carmina in Nuptiis virorum principum edita complectatur. Mos obtinuit in Italia, & in hac nostra potissimum Civitate, ut, cum majorum imaginibus insignes matrimonii fœdera ineant, epithalamicos versus melioris notæ Poetæ efflagitentur, quo in unum, veluti floridum vernansque sertum innexi, litteraria luce perfruantur. Cum igitur omnibus exploratum esset, quantum Noster hac facultate polleret; vix ulla celebrior fuit horum Collectio, in quam suam etiam ut conferret symbolam, non fuerit expostulatus. Dedit autem, dum per fori curas licuit, Carmina ita ingeniosa, ita perspicua ac propria, neque ex diversis aliorum hemistichiis aut laciniis male consuta (qui multorum ignobilis & inglorius mos est) ut cum in deliciis eorum omnium habita fuerint, qui hisce cupediis delectantur; visum

1 Exstat de hoc cultioris eloquentiæ egregium & immortale specimen, Oratio nempe Cl. Jacobi Facciolati IX, qua Tulliana ubertate contendit, Moralem institutionem magis a Poetis, quam e Philosophis esse repetendam.

sum etiam sit, uno veluti sub aspectu, tibi, candide Lector, hic exhibere. Tertius denique *Varia* Carmina continet, quæ sese eadem prorsus facilitate & nitore commendant. Ingenium quippe Cl. De Januario ad omnia natum, in quæcumque ipse laudabilia velit convertere, versatur atque eminet.

Jam vero quod ad stilum spectat, non hic lasciviens atque enervis, non ineptis ac frigidis paronomasiis, & antithetis, non translationum monstris refertus, non horridus, non subagrestis; sed ingenuus, venustus, perspicuus, puroque simillimus amni, in aures animosque dilabitur; non pigmentis fucoque puerili illitus, sed nativo colore ac splendore nitidus, & dulci quadam suavitate delibutus, austeritatem, & quasi mæstitiam sermonis, strigosæque orationis solitudinem refugit atque aversatur;

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues 1.

Neque hic mihi, nescio, quam veterum scribendi insolentem rationem quis obtrudat. Aureum quippe antiquitatis ingenium veneramur: scimus tamen, eos, qui inter Latinos scripserunt primi, aspere & incondite loquutos; hanc tamen duritiem, deterso luridæ rubiginis squalore, sequens ætas mitigavit. Lucretio lenior multo Virgilius in hexametris. In elegis cultior docto Catullo Propertius, Tibullus, Ovidius; & sub Augusto, quo ad extremum dignitatis gradum latina Poesis est evecta, teretes Romanorum aures ab hujusmodi confragosæ orationis dumetis abhorruerunt.

Non satis est pulcra esse poemata, dulcia sunto 2.

Quamvis vero, renatis auspicato sidere litteris sub Alphonso I Aragonio, Rege nostro sapientissimo, & Leonis X Pontif. Ma-

1 A. Persius *Sat.* I, v. 106. Mihi certe, pro ea, qua me amicitia dignatur, Cl. Auctor dicere posset, quod Pollio P. Papinius Statius in epistola præmissa Silvar. libro III: *Cum scias, multos* (versus) *ex illis in sinu tuo subito natos; & hanc audaciam stili nostri frequenter expaveas.*

2 Horat. in *Art. v.* 99.

ximi tempore perpauci hanc etiam asperitatem affectaverint; respuerunt vero in elegia potissimum Pontanus, & Sannazarius, atque inter recentiores elegiographos princeps, Marius Molsa, omnesque fere illius heroici temporis Poetæ: respuit & hac ætate læta & concinna Tibulliana venustas Johannis Antonii Vulpii, quem honoris & amplitudinis causâ nomino, ceterique hac laude præclarissimi. At non hic quidquam eorum famæ detractum velim, qui horridulum scribendi genus adamarint; cum sit quisque laudandus, modo perfectus in forma operis sui: æque ac in pictura celebrantur, qui suo stilo eminent præstantque.

Illud igitur reliquum est, ut Italiæ universæ, in qua, veluti in proprio solo, latina Poesis comprehendit, plaudam vehementer, quod hoc sæculo ejus cultus, obstrepente nequicquam semidoctorum turba, non sit deminutus; quinimo sartam tectamque, hac Carminum editione, a majoribus traditam dignitatem tueatur & augeat. Quod autem ad maleferiatorum hominum improbitatem attinet, sinamus eos insanire cum suis. Hi scilicet e trivio, & vulgi fæce erepentes, harum rerum idonei judices nusquam erunt. Allatrent, per nos licet, quæ assequi nequeunt: suus semper bonis litteris constabit honos ac decus. Quisquis vero non operosam gloriam reputaverit hanc in scribendo facilitatem lenitatemque assequi, vereor ne, cum periculum faciet, irrita & vana spe deludatur,

ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret,
Ausus idem 1.

Tum profecto

bellus ille, & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur; tantum abhorret, ac mutat.
. . . .
Idem infaceto est inficetior rure,
Simul poemata attigit 2.

Ne-

1 Horat. ibid. *v.* 240.
2 Catull. *Carm. XXII*, *v.* 10. *& seq.*

Neque enim, ad hanc obtinendam gloriam, ſatis eſt in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo; ſed ille quippe hoc honore digniſſimus,

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum 1.

Placuit tandem, auctarii loco, ſubnectere nonnulla Carmina Franciſci Galluppi, Jureconſulti, Advocati Neapolitani, ac Patricii urbis ad Tropæa 2 ſpectatiſſimi, græcam atque auream ſimplicitatem redolentia. Pigebat profecto tanti viri, græce latineque doctiſſimi, ab editione ſuorum operum (prout ejus modeſtia eſt) perpetuo refugientis, aliquod litterarium monumentum publice non exſtare. Amicitiæ igitur jure interceſſi, at hæc, in Auctoris laudem jam conſcripta, typis edi pateretur; &, pro ipſius in eumdem benevolentia, tandem obtinui. Sic velit ipſe in lucem emittere *Scholiaſten Ariſtophanis*, latine verſum., & uberrimas in illum *Adnotationes*, atque *Animadverſiones εἰς τὰ ἀνέκδοτα Danielis Heinſii*, *& Iſaaci Caſauboni in Theocritum*; quas quotidiano veluti convicio efflagitamus, ut inde Italiæ ingens decus accedat & ornamentum. Vale, erudite Lector, & Clariſſimi De Januario alia ingenii pignora propediem exſpecta.

1 Horat. *Sat.* I, 4. *v.* 43.

2 Vulgo *Tropea*. Stephano dicitur πρὸς Τρόπαια. Adeas Lucæ Holſtenii in Cluverii Italiam antiquam Adnotationes pag. 296. edit. Rom. ann. *1666.* qui ex Sexti Pompeji victoria & Tropæis id huic urbi nomen putat supereſſe. Cl. Harduino eſt eadem, ac Ἡρακλέους λιμήν, cujus Strabo memor eſt, *lib. VI pag.* 394. edit. Batavæ, & Portus Herculis a Cajo Plinio memoratus Natur. Hiſt. III *pag.* 158.

CARMINUM LIBER I.

MAGISTRATUS.

ELEGIA I.

MUNUS DIFFICILE.

DICERE Jus, & lance pari componere lites,
  Gloria non levis est, parta labore gravi.
Plura tamen collecta juvant, quæ dissita languent:
  Integra dos prodest, dimidiata nihil:
Scilicet omne malum defectu provenit uno:
  Perfectis constat partibus omne bonum.
Nec satis hoc: superest majus; nam convenit uti
  Summo delectu, judicioque pari;
Quippe ita sunt vitium & virtus confinia, ut anceps
  Sæpe sit, an pejus pro meliore capis.
Scire, parum est; nescire, nefas: culpabilis ille est,
  Qui sese facilem, difficilemve gerat;
Difficiles vinci solida ratione recusant;
  Vincuntur faciles vel ratione levi.
Ille nocet, multum dictis qui præbeat aures:
  Aures qui nusquam præbeat, ille nocet;
Namque locum injustis dat defensoribus alter:
  Alter legitimis asperitate negat.
Qui tacet, aut loquitur nimium, damnatur uterque;
  Turpe nimis loquier; turpe tacere nimis:

Sæpe loquax dictis sibimet cantrarius exstat;
Et miscet multis vix bona pauca malis:
Cui manet os clausum, quamvis sapientior, aut nil,
Aut vulgo sapiens creditur esse parum.
Et timor est vitium, & vitium est audacia; namque
Multum agit hæc præceps, nil agit ille piger.
Negligitur timidus, laceratur ab omnibus audax:
Carpitur hic odiis, spernitur ille jocis.
Fallitur is, quoties tantum præsentia spectat;
Is quoque, qui tantum nosse futura studet;
Præsenti hic rapitur, confunditur ille futuro;
Atque male alteruter tardat, & urget opus.
Maxima quæ virtus, prudentia, plena pericli est;
Nec semper felix, debet ut esse, fuit:
Non ea sæpe nocent, quæ tu nocuisse putabas:
Quæque videbantur non nocitura, nocent.
Ah quoties, quod jure facis, fecisse dolebit;
Atque placet factum, quod sine jure facis.
Non rare evasit patientia noxia; & insons
Sæpe opportunis casibus ira fuit;
Redditur is, causam tractat qui fronte superba,
Lenis, te irato, te patiente, ferox.
Non semper prodest miti clementia vultu;
Atque truci semper non placet ore rigor:
Hic animos acuit, plusquam decet, illa relaxat;
Parque malum oppositis provenit inde viis.
Nec flecti lacrimis, lacrimas nec spernere tutum est:
Hæ juste ex oculis, hæ quoque fraude cadunt;
Qui vult esse pius, quandoque fit impius; & fit
Ille pius, nocua qui pietate caret.
Nescius, an credas, an famæ incredulus obstes;
An meret, an potius subripit illa fidem.
Pro vera mendax aliquando credita fama est:
Credita pro falsa, vera reperta fuit.
Si facile admittis, rigide si excludis amicos,
Te facit obsequium, rusticitasve reum:
His facile admissis, poteris suspectus haberi;
His rigide exclusis, vix sociandus eris.

Quare

Quare in Judiciis ars ipsâ involvitur arte,
Ni sit nescio quid majus, & arte super;
Et felix erit is, qui forte videbitur, artem
Quando plus adhibet, tunc adhibere minus.
Hoc se præsidio nocuis defendet ab armis,
Queis magnos versat gens malesana viros.
Nemo est, vel summo meritoque excellat honore,
Quem non os rabidum dente feroce premat:
Hic est insipiens, hic invidus, osor & ille,
Hic audax, hic clam perfidus, ille palam;
Quoslibet hi, secum variis affectibus acti,
Arbitrio mordent dilaniantque suo.
Sed qui, virtutum dives, sanctissima legum
Insons jussa colit, justitiæque præest,
Hæc fatua, effectuque carentia fulmina spernit,
Atque hominum fæcem pensitat ille nihil.
Impavidum numquam terrent, feriuntque ruinæ:
Et numquam pectus grande procella quatit;
Intrepida facie, atque animo constante resistit;
Et magis adversâ, par sibi, forte viget.

ELEGIA II.

MENS.

MENTE valent homines; similes qui cetera brutis,
Mentem, qua brutis non similantur, habent:
Mens opus æternum, & divinitus orta propago,
Mens nil corporei, corpore juncta, tenet:
Mens noscit, Mens disponit, Mens judicat; & Mens
Ad verum fertur percita sponte sua:
Hæc spectat præsens; hæc est præsaga futuri;
Hæc est præteriti, vidit ut ante, memor:
Hæc anima est, & norma, & Jus dicentibus ingens
Præsidium, ut valeant reddere cuique suum.

Mens,

Mens, rerum interpres; Mens, prudens arbitra recti;
Mens, æqui custos; Mens inimica doli.
Sed, quamquam Mentis natura est omnibus una;
Non agere est uno qualibet apta modo:
Altera agit melius, melior cui corporis usus;
Et cui pejor hic est, altera pejus agit.
Propterea Mens est dicundo provida Juri,
Quæ magis corporea labe soluta viget;
Quæ longe ac late excurrat, tenebrisque fugatis,
Splendeat, & radios spargat ubique suos;
Quam nihil obliquâ perturbet imagine fictum,
Nec recti species insidiosa premat;
Noscere sit velox, sit res discernere cauta,
Pendere sit sollers, sit retinere tenax;
Grandia concipiat, nugis puerilibus expers,
Quas olim ante focum stans recitavit anus.
Sed primo rerum aspectu, (qui fallere sæpe
Incautos suevit) ne rapiare, cave;
Quæ subito, sunt firma parum, meditaberis æstu:
Firma sed esse magis bis meditata solent.
Mature observa; rursum observata revolve;
Jungere postremis anteriora stude.
E re res oritur, lumen de lumine manat:
Cognitio augetur cognitione nova.
Intima sic poteris scrutari viscera rerum;
Sic nucleum, fracto corticis ore, trahes.
Non semper verum est, quod primo in limine verum
Apparet, vero proximus error adest:
Et facile errabis, cum non errare videris,
Uti ni summa sedulitate velis.
Peccarunt graviter (docet experientia) plures,
Qui sine delectu præcipitanter agunt.
Sæpe ea damnamus, quæ forte probavimus ante;
Nosque emendatos cura secunda facit.
Sed pavidam abstineas meditando involvere mentem,
Semper & ancipites ire redire vias;
Nullo stare loco, nullis consistere metis;
Et nulla, post tot prælia, pace frui;

Hoc

Hoc pejus, mihi crede, malum; rectisque ferendis
Judiciis nil est exitiale magis.
Tunc animus dubiis misere circumdatur; & quid
Affirmet, nescit pandere, quidve neget;
Et pugnans secum, paribus rationibus actus,
Aut has, aut illas deseruisse timet;
Semper nil operans, operi dum fervidus instat,
Semper, dum magis est exagitatus, iners;
Nec sibi, nec fidens aliis, cum fidere fas est;
Displicet ipse aliis, displicet ipse sibi.
Præterea, qui plus, quam par sit, acumine pollet,
Dotem, quam melius non habuisset, habet;
Alterutro ingenium defectu redditur impos,
Sive nimis tardum, seu nimis acre datum est:
Quod tardum nimis est, in plano tramite præceps
Decidit, & medio in lumine lucis eget;
Acre nimis rapido fertur per inane volatu,
Atque umbras, corpus dum putat esse, capit:
Propositique tenax speciosa sophismata gignit,
Quæ dant, ut victum se tueatur, opem;
Nec cedit vero, pro falso pugnat acerbe,
Cum numquam fictæ sit rationis inops.
Quapropter cuperem, quod quæ Mens pectore volvit,
Ut domina imperio temperet illa suo;
Et quodcumque gerit, servili libera vinclo,
Et præjudiciis exonerata, gerat.
Ardua non paveat, parvis non hæreat: illa
Vincere, magnanimum est; spernere & ista, juvat:
Ardua ni vincat, sine nomine languida vivet;
Parvaque ni spernat, tempus inane teret.
Quodque aliis placitum est, censura examinet acri,
Nec perquirendo sit studiosa parum,
Non aliena statim sententia forte probanda est:
Hæc eadem non est rejicienda statim.
Arbitra sit ratio, quæ separet optima pravis;
Hæc prorsus damnet, prorsus & illa legat.
Insuper admoneo, ne regula militet una,
Atque ea sit cunctis invariata modis.

Con-

Consilium non semper idem: mutare lubenter
Pro varia rerum conditione sinas:
Nec pudor est, quod Mens hinc sese volvat, & illinc;
Est quidam cauta in mobilitate decor;
Tempore, sive loco quæ res bene convenit uno,
Convenit haud alio tempore, sive loco.
Non unum genus est hominum, fortunaque dispar
Non patitur fato succubuisse pari.
O felix, semperque omni memorandus in ævo,
Cui natura parens has cumulavit opes;
Egregie ornabit sublimi Mente Senatum,
Juraque tractabit splendidiore face;
Et tanto sacrosancta Themis gaudebit Alumno,
Propugnatorem non habitura parem.

ELEGIA III.

INGENUÆ ARTES.

ADDE bonæ Menti, quo sit doctissima, cultum;
Scilicet hæc cultu desinit esse rudis.
Perficit ars quicquid natura inceperat: ista
Vivax ingenium format, & illa polit.
Cum primum effoditur, non lumine fulgurat, aurum;
Lumen ab artificis sedulitate capit.
Ni terram vertas, ut sulcis semina tradas,
Fertilis optata messe carebit humus.
Quamvis sit fortis miles, pugnabit inepte,
Si sit militiæ doctus in arte parum.
Indole perspicuâ conjuncta industria prodest:
Altera ab alterius consolidatur ope.
Quot magna ingenia, in tenebris non digna morari,
In commune bonum conspicienda forent,
Si gravibus studiis generoso ardore vacarent,
Virtutis specimen grande datura suæ.

Qua-

Quapropter, si Mens rebus sublimibus apta
Est tibi, ne tanta desine sorte frui.
Opportuna, precor, prius instrumenta parabis,
Queis ad doctrinam lene patebit iter.
Et grajam, & latiam linguam callere necesse est:
Discendi fontes utraque lingua docet:
Quicquid in historia est, illo sermone, vel isto
Ad nostros servant fata benigna dies.
Ingenuas Artes hic sermo illustrat uterque,
Quem si spernis, in his Artibus hospes eris:
Nec, licet in patriam sint versa hæc omnia linguam,
Profectu credas discere posse pari.
Qui vertit, fallit quandoque, & fallitur ipse:
Extera nativo lingua lepore caret.
Non puræ labuntur aquæ, cum longius errant:
Puras e proprio fonte bibisse juvat.
Porro ne lente Meditandi exceperis Artem:
Hæc tibi vera dabit noscere, vera loqui;
Definire scias, distinguere & omnia acute,
Numquam discedens a ratione procul:
Et quid præmissis juste respondeat, & quid
Hisce adversetur, dissoluisse queas.
Præterea non ipsa tibi spernenda Mathesis,
Unde æquum aspectu candidiore nitet:
Quid par, quid dispar, quid constet, quidve repugnet,
Obliquum, & rectum sic reperire potes;
Sic bene dirigitur studia ad majora paratus,
Et sensim instruitur, perficiturque labor.
Ulterius pergas: patriosque relinquere fines
Incipe, & immensum mens cito currat iter:
Nosce Orbem in tabulis, regiones, flumina, & urbes;
Quaque Orbis teneant hæc loca parte situm.
Nonne pudet, gesta affirmes Orientis in oris,
Quæ forte occiduis gesta fuere plagis?
Atque urbem geminam, communi nomine dictam,
Unam, non duplicem turpiter esse putes?
In Physicis etiam sistas; fallacia quamvis
Plurima sint, quædam præteriisse pudet;

Ut

Ut saltem ipse scias, quod scitur ab omnibus; & te,
Atque alios, possis dicere, scire nihil.
Scilicet innumeros servat Natura recessus;
Et, prope cum fias, tunc procul esse, vides.
Inde etiam recolenda tibi est Sapientia morum,
Quos sceptro virtus nobiliore regit.
Volve animo monumenta virûm, quos Græcia jactat,
Quos jactat fastis inclyta Roma suis:
Disces, magnanimis veniat quæ gloria factis;
Quæ veniat merito e paupere fictus honor;
Quo læto accipitur contemta injuria vultu;
Qua facili tacitus vincitur arte dolus;
Quo fræno immitis moderetur dulciter ira;
Qua norma proprius contineatur amor;
Queis se blanditiis aliena ferocia flectat;
Queis pacem obtineat mens agitata modis;
Scruteris, quæ sint vitæ præstanda vicissim
Officia; utque homini sit sociandus homo;
Ut nemo tantum credat sibi vivere; ut alter
Debeat alterius consuluisse bono;
Ut rigide servanda fides contractibus; ut sit,
Seu clam, sive palam fallere quemque, nefas.
Tu quoque ad Historias sollers incumbe legendas:
Aspice quod gestum est Orbis ab initio:
Gestarum hic debes distinguere tempora rerum,
Ne rerum series obruta mole ruat;
Et ne, confusis ætatibus, ultima primis,
Et media extremis sint cumulata simul;
Atque suus tantis desit successibus ordo,
Quo sine proveniet non nisi grande chaos.
Des operam graviter, Populorum noscere Mores;
Dignaque censurâ, dignaque laude notes:
Ex his qui pollent opibus, qui viribus, & qui
Aut cultu, aut studiis, ingeniove nitent;
Qui vitiis, qui fraude vigent, quos urget egestas,
Queis fortuna favet, queis inimica nocet.
Hinc magna utilitas; alienæ maxima sortis,
Queis propriam emendes, hinc documenta trahes:

Atque

Atque tot exemplis animum spectabis opimum;
Et vitam cursu prosperiore reges.
Postremo cures Regnorum evolvere fata,
Unde tot eventus dispare sorte fluunt:
Queisnam principiis Gentes crevere potentes,
Queis causis versâ post tecidere vice;
Tempore quo melius rigidum, quo tempore blandum,
Quo nocuum imperium tempore utrumque fuit;
Quando juvat, fuse, seu parce, præmia, pœnas,
Seu cito, seu lentâ contribuisse morâ;
Quando promissis refert impellere inertes;
Quando rebellantes continuisse metu.
Et Belli, & Pacis noscas solennia Jura,
Queis obfirmatur publica in Orbe quies;
Quid justum reddat bellum, quid reddat iniquum;
Quid vetitum est, & quid, Marte furente, licet;
Quando jubet proprias defendere fortiter urbes,
Et quando externas fundere, læsus honor:
Quando pax fieri, quando sine crimine frangi,
Quando opus est summâ religione coli,
Pacta quid attulerint pacatis fœdera rebus,
Vel servata, boni, vel violata, mali.
His plene instructus tentes felicibus ausis
Omnia, & extollas vel super astra caput;
Nec serpes ignotus humi, nec quoslibet inter
Hærebis de te qualibet ipse loqui.

ELE-

ELEGIA IV.

JURISPRUDENTIA

POSTQUAM doctrinæ tibi tanta parata supellex,
Qua mens sublimi dote superba nitet;
Felici cursu lustra penetralia Legum:
Nonnisi cordatis hæc adeunda viris.
Nobilis hæc, custos æquique bonique, Facultas
Res docet humanas, res docet ista sacras;
Qua ratio victrix animis discordibus instat;
Qua fas servatur, rejiciturque nefas;
Et liber servit quisquis servire jubetur,
Dulce ferens, quo nil ipse gravatur, onus.
Hanc tu principiis solidis susceperis Artem,
Tu, cui Judiciis fata præesse dabunt:
Atque avide primum Romana volumina volvas,
Digna immortali posteritate frui:
Condendo par nulla fuit Respublica Juri;
Nullaque par peperit tam sapienter opus.
Hic Personarum, & Rerum discrimina disces;
Hic Acquirendi, Lege jubente, modos;
Quos parit effectus hominum Testata Voluntas;
Quo ritu existat robore firma suo;
Quive Intestato succedant sanguine juncti
Defuncto, exstantes in propiore gradu;
Qui Re, qui Verbis contractus firmiter hærent;
Nomine qui gaudent, nomine quique carent;
Quas meritas privata luant, quas publica pœnas
Crimina, queis populi sit violata quies.
Sed percurrendis istis ex ordine rebus
Non adhibenda quidem cura laborque levis.
Quærere nunc præstat, quæ sit concordia legum;
Quam bene connexa est posteriore prior;

Siquod

Siquod dissidium, noscas, superare necesse,
Non fuco ac nugis, sed gravitate decet:
Ex aliis inferre alias; conjungere sparsas;
Difficiles nodis dissoluisse suis;
Inque affirmantes convertere sæpe negantes,
Scripturæ ingenua deficiente fide;
Jurisprudentum varias attingere Sectas,
Quorum dissensus conciliandus erit;
Et quædam, arcano verborum cortice tecta,
Detegere, historiæ te præeunte face.
Sæpe etiam sensus legum cohibebis apertos,
Plus scriptum, vetitum cum minus esse, putes:
Aut contra extendes, cum plus voluisse videntur,
Quam scripto leges explicuere palam.
Inde tot ampla patent tibi Commentaria Juris,
Fortia quæ terrent pectora mole sua.
Debet in his ingens a te delectus haberi;
Ut mala prætereas, utiliora legas.
Scripserunt multi; sed non par omnibus una
Gloria scribendi; par manet unus honor.
Sunt qui non cultu florent, non ordine rerum;
Resque bonas multa rusticitate docent:
Siquod in his vitium est, tulit hoc obscurior ætas;
Non tulit ingenium, quo valuere nimis.
Hos caute volvas: quod convenit, excipe: quodque
Imbutum est maculis barbarieque, fuge.
Sunt qui, forte bona, nati melioribus annis,
Judicio huic arti splendidiore vacant:
Quos inter frontem extollit Cujacius; unus,
De quo quæ dices, sunt ea dicta parum.
Hi, procul expulsa veterum rubigine, scribunt;
Atque emendato scripta lepore replent:
Hi nil deficiens, quo plus fortasse requiras,
Hi nil excedens, unde graveris, habent;
Hi faciles, &, quod raro concurrit, acuti;
Hi lati in dubiis, perspicuisque breves:
Quosque diu misere vulgaris opinio fovit,
Errores summa pellere laude student.

His operam cultis Auctoribus ipse locabis;
Atque operæ precium non nisi grande feres.
Omnia spectabis multo stipata nitore;
Nec mens nugarum pondere pressa cadet.
Sed qui Jus dicit, quicquid fert Curia, noscat,
Et quæ Scriptorum turba Forensis habet.
Difficile hoc pelagus: syrtes vitabis & undas;
Et portum multa, si sapis, arte tene;
Hic sordes multæ, nullus quam sæpius ordo,
Et variis ratio dilaniata modis;
Hi, quo itur vulgo a reliquis, non quo sit eundum,
Ut pecudum mos est, præcipitanter eunt;
Claraque confundunt obscuris, falsaque veris,
Certaque cum dubiis, & meliora malis.
Sed tamen his opus est; longævo protinus usu
Et famam & vires obtinuere foro.
Collige tu purum tantis e fæcibus aurum;
Et fructus nocua ex arbore quære bonos:
Nullus enim liber est, quamquam sine nomine currat,
Qui non ex aliqua parte juvare queat.
Post hæc te referas ad Sacra volumina Juris:
Late materies non minus ista patet:
Quæ vetus, atque recens sanctis lex dogmata libris
Servat, in hoc sparsim dissita Jure legas;
Et quæ Conciliis sint edita jussa, notabis;
Atque simul disces quæ docuere Patres:
Quæ sint supremæ vulgata Oracula Sedis,
Queis dubias lites dissoluisse solet.
Hic plene disces, gaudent qua sorte Ministri,
Qui templo addicti, se tribuere Deo:
Quot sacer in classes varias distinguitur Ordo;
Quæ mandata sibi munia quisque subit:
Et quæ posthabitis nova Sacramenta vetustis
Solenni ritu conficiantur, habes;
Quas res in proprios Ecclesia vindicat usus;
Hisque alienandis quæ data fræna, scies;
Formaque Judiciis quænam consistat agendis;
Ut sese ipse Actor, se gerat ipse Reus.

Cri-

Crimina quænam sint, sanctis quæ legibus obstent;
Quænam patrato pœna sit æqua malo;
Quod Jus Imperio, quod sacris Clavibus esse,
Distincta jussit sub ditione Deus;
Utque hæc conveniant & vinclo & fœdere in uno,
Si se contineant limite quæque suo.
Cum sic primævis Jus omne revolveris annis,
Prosequere hoc studium, sis licet ipse senex:
Nam quo plus disces, plus discere posse videbis:
Tam vastos fines utraque Jura tenent.
Si tu te talem præstes, præstantior alter,
Jus bene qui possit reddere, nullus erit.

E L E G I A V.

M O R E S.

INTERNUM nuper cultum præcepimus; at nunc
Exterior cultus præcipiendus erit.
Utraque dos prodest; intus nos altera doctos,
Altera prudentes indicat esse foris.
Abdita si gemma est, nec divite luce superbit,
Nullius in pretio est, sit pretiosa licet.
Gratior est blandos socians Sapientia mores:
Tristior est, quæ sub rusticitate latet.
Venimus in lucem, cunctos ut amemus amati,
Doctrinæ ut cunctis proficiamus ope:
Nec, quia Jus reddit suavi moderamine Judex,
Detrimenta capit perniciosa Themis.
Condiri rigor ipse potest; nec respuit umquam,
Cum danda est, mites aspera pœna modos.
Quare te acceptis ornatum moribus opto,
Ut nulli prorsus displicuisse queas:
Inque aliis specta, quid desit, vel quid abundet;
Quid gens objurget, quid probet illa, nota:
Tu, quod abundet in his, remove; quod desit, adimple:
Linque, quod objurget; quære, quod illa probet:

Teque illis reddas similem, qua parte juvabunt:
Reddas dissimilem, qua tibi parte nocent.
Et moneo in primis, fugiat ne gratia vultum,
Seu sit causa domi, seu sit agenda foro:
Si bene Patronus sese gerat, excipe multa
Laude patrocinium, quam meruisse vides:
Nam, seu sint juvenes, animatur laude juventus;
Sive senes, senibus laude fovetur honos.
Siquis non recte causam tutabitur, illum
Humanis fas est admonuisse modis:
Et præsta patienter opem, tenebrasque repelle,
Queis forsan nolens obrutus ille jacet:
Incolumes ostende vias, quas ire licebit,
Ut caute obliquum vertere possit iter.
Si tamen indocili quidam conamine pugnent,
Allata flecti nec ratione sinant;
Dulciter objurges primum: dulcedine vinces,
Vinci qui nequeunt asperitate truci.
Ni cedant, taceas; te namque tacente, pudebit
Hos frustra dictis obstrepuisse diu,
Sic odium vites; nec, quod decreveris, olli
(Quamvis displiceat) dilaniare queunt.
Cunctos, qui veniunt coram te, noscere cures,
Quinam perfidia, qui probitate valent.
Interdum, qui voce humili, qui supplice vultu
Accedunt, fraudes insidiasque fovent;
Atque coloratis fingunt mendacia verbis,
Fucataque dolum simplicitate tegunt.
Hos paribus vincas armis; & suaviter artem,
Qua pollent, superes, ut decet, arte pari.
Excludas quodcunque petunt, si forsan iniquum est;
Quod, vultu risum dissimulante, geras.
Atque ita, qui veniunt deludere forte parati,
Delusos damno cernis abire suo.
Est tibi præterea gravitas servanda decenter;
Sed procul a fuco, quo nihil illa placet:
Ingenuo pateat conjuncta modestia fastu;
Excurrat numquam nubilus ore color.

Et

Et blande accipias, & blande redde salutem:
Mutuus officiis conciliatur amor;
Et quocunque loco, quocunque & tempore, cunctos,
Ut cupiunt, sensus exposuisse, sinas.
Nil pigre differ; vel si differre necesse est,
Fac, justas, noscat qui petit, esse moras.
Caute promittas, sed quod promiseris, exple:
Posse a te fieri non facienda, nega:
Atque nega placide; nam grata est sæpe repulsa;
Cum quis non tristi fronte repulsus abit.
Si pleno fuerint tibi vota ferenda Senatu,
Omni decernas ambitione procul.
Dic bene; dic breviter: dic omnia: suaviter obsta;
Ut, quibus obstabis, non videare ferox:
Utere & exemplis, ratio ni forte repugnet:
Utere & arbitrio, ni quis abusus erit.
Non semper calcata aliis vestigia calca:
Multum etenim novitas provida laudis habet.
Interdum tua deponas; aliena sequaris,
Si tua tuta minus, tuta aliena magis:
Et quando errabis, debes, te errasse, fateri:
Parcendum errori, quem fatearis, erit.
Nonne errore novo primus defenditur error?
Atque ea, quæ levis est, culpa fit inde gravis?
Non doleas, non inferis, contraria seu quis
Firmet, seu plaudens quis tua dicta probet.
Quod tibi, quodque aliis visum est, ne pandere tentes;
Sed prudens tacito pectore conde tuo.
Judicii fit vilis honor, si arcana patebunt
Consilia, & parvi sint ea pensa palam:
Pascitur invidia atque odiis ignobile vulgus;
Cuncta venenato carpere dente cupit.
O vere ad Patriæ communia commoda natus,
Qui, sese ornatum moribus hisce gerit:
Præsertim leges rigide cum servet Honesti,
Et scelere & vitiis immaculatus abit:
Qui prece, vel precio non vincitur, atque Potentum
Non amat obsequium, non timet usque minas.

 Or-

Ordinibus cunctis pleno laudabitur ore ;
Atque æque carus, quam metuendus erit.

ELEGIA VI.

NEC PAUPERTAS, NEC DIVITIÆ.

NEC pauper, nec dives erit, qui Judicis implet
Munus: Paupertas, Divitiæque nocent.
Pendet ab extremis vitium: corrumpitur omne,
Siquod parte nimis desiat utraque, Bonum.
Si caret, aut multo si sanguine corpus abundat,
Vitam non poterit substinuisse diu.
Consistunt florentque æquali pondere vires;
Hoc aucto, hoc pariter deficiente, cadunt:
Utque vetus dictum est, Nimium natura repellit:
Hæc eadem, parvo debilitata, jacet.
Is, cui res angusta domi est, qui paupere censu
Stringitur, officio par nequit esse suo.
Sorte gravi afficitur, nusquam mens libera curis,
Semper vicinis exagitata malis:
Evigilat noctes, adverso exercita fato;
Nec sibi tranquillos scit numerare dies:
Et timet, & dubitat, pariter diffidit, & optat:
Nunc spes, nunc pallor, nunc stat in ore pudor.
Hi varii affectus, veluti tot in æquore venti,
Conflictu assiduo saucia corda premunt.
Tunc torpent leges; languet tunc mentis acumen;
Tunc vultu & labiis spiritus omnis abest:
Non faciles dubiis præstantur litibus aures;
Nec læta arripitur sedulitate labor.
Dî faxint, ne sit, qui pacto sordeat ære;
Dignaque mercatu jura verenda velit.
Integritas raro cum paupertate cohæret:
Illa animum ditat, corpus at ista premit:

Quod-

Quodque juvat, non quod melius; quod & utile, non quod
Est mage conveniens, quærit & optat egens:
Et, nisi sit summis pollens virtutibus heros,
Difficile hos scopulos, naufragiumque fugit.
Contra, qui florens opibus, qui divite pompa
Luxuriat, partes Judicis explet iners.
Otia, queis gaudet, quisnam in fastidia vertet?
Et quisnam vacuus sponte subibit onus?
Pugnant deliciis curæ, solatia pœnis;
Et pugnat bellum pace, labore quies.
Cuique dolet noctu cubitum quam tardius ire;
Surgere dein cubitu, vix oriente die:
Atque ad clamosum citius se ferre Tribunal,
Ardeat aut æstas, sive rigescat hiems;
Postque diem medium proprio decernere tecto
Jurgia, vix sumto parcius ante cibo;
Invigilare libris, & judicialibus actis;
Noscere, num bene jus, num bene facta patent.
Non hæc dura sibi faciles incommoda quærunt,
Qui vita poterunt commodiore frui.
Scilicet hos plenis oblectat scena theatris,
Et mulcens aures vox modulata sonis;
Et luxu aurato lustrantes compita currus;
Et, quos commendat spiritus acer, equi.
Cœtus amicorum colitur, qui tempora fallat,
Narrans quid sparsus rumor in urbe ferat;
Quique sales, mollesque jocos, jucundaque fundat
Colloquia, ut mala sint tristitiæque procul:
Alea diligitur, noctis quæ temperet horas,
Præsertim pluvias, cum juvat esse domi;
Atque, animis nunc huc, & nunc trepidantibus illuc,
Fortunæ arbitrio diripiuntur opes.
Quid speret multos lassus qui litigat annos,
Atque gravi redimit tristius ære moras?
Orabit frustra, lacrimas miscebit inanes;
Et misero ventis irrita verba dabit.
Qui satur est, nihil alterius jejunia curat;
Qui valet, alterius nil dolet ipse malo.

Accipiet, nec enim dubito, promissa libenter;
Eheu! securam non habitura fidem.
Quod si sors patitur, finiri denique litem;
Seu victus, seu sit victor, abibit inops.
Optandum est igitur, quod te nec turbet egestas,
Nec tibi prægrandes insidientur opes:
Et, quantum sat erit, non quod superabit, habebis,
Non nimium dives, non nimis ipse miser.
Sic neque deliciis captus fastidia spernes;
Nec pressus dura sorte jacebis humi:
Magnanimum calcabis iter, quod gloria signat,
Paupertate carens, divitiisque carens.

** *GRande a Secretis munus qui sustinet, omnes*
Ni dotes cumulet, munus obire nequit.
Ipse vigil, tacitus, sapiens, probus, impiger, ardens
In rebus debet vel nimis esse suis.
Nescio, num talis fuerim; voluisse fatebor:
Sed potuisse meo non datur arbitrio.
Ut se res habeat; veniam peto; quærere laudem
Non curo: hæc aliis convenit, illa mihi.

CAR-

** Clar. Auctor amplissimi Quinquevirûm Senatus, quem Regalis Cameræ Sanctæ Claræ nomine, Neapoli nuncupant, anno MDCCXLV, summo omnium plausu, eligitur a Secretis. Quid igitur hoc requireret munus, paucis hisce carmininibus complexus est; quæ hic addere, abs re non videtur.

CARMINUM
LIBER II.

NUPTIALIA.

ELEGIA I.*

AD JOHANNEM BAPTISTAM VICUM.

ACCEPI *tua jussa lubens; sed, Vice, dolebam,*
Grandia me musa paupere jussa sequi.
At tu subridens animabas laude dolentem,
Qua, pro more tuo, me cumulare soles.
Quam dederat vir laudatus, laus ista placebat;
Tanta licet meritis non foret æqua meis.
Inde domum veni; curisque parumper ademtus,
Totus in explendis jussibus ipse fui.
Sumta lyra est, suspensa diu. Quæ carmina primum
Erumpunt, delet ducta litura stylo.
Et surgo, & cœpi post lento incedere gressu;
Sæpius incessu mens meliora parit:
Nec bene successit; cogor desistere cœptis;
Inque aliam statuo sumere plectra diem.
Interea me conveniens, promissa petebas
Carmina: respondi, quod polienda forent.

Fin-

* In Nuptiis Johannis Baptistæ Filomarino, Principis Roccæ, & Mariæ Victoriæ Caracciolo, e Marchionibus Sancti Erasmi.

Finximus hæc (fictis renuas ne parcere verbis)
Nescio, quis fuerat dicere vera pudor;
Nec caruit ratione pudor, ne forte putares
His excusatam me tibi velle moram.
Quare iterum curo nostram tentare Camœnam:
Nil tentata iterum nostra Camœna tulit.
Cœnatum suspensus eo; meditabar edendo:
Sic soleo, infectum cum mihi pendet opus.
Cum neque sperarem, par quidquam effingere votis,
Pœnituit studiis, Pimpla, vacasse tuis.
Excipior lecto dubius; somnumque petenti
Ante oculos visus Phœbus adesse mihi.
Nosco signa Dei: citharam gestabat, & arcum;
Ornabant flavas laurea serta comas:
Ecquid, ait, mentem trahis in diversa? diuque
Anceps condendis versibus ipse manes?
Nunc mittas, moneo, sublimia quærere cantu;
Quæ celebras, tenero sunt celebranda sono.
Nonne tenes, quod dulcis Amor sibi dulcia poscat
Carmina? quod pompæ sint in Amore graves?
Hanc sumas manibus citharam; Sponsamque, Virumque
Alloquere; & placido profer ab ore melos:
O quos jungit Amor viridi sub flore juventæ,
Felix ad senium plurimus annus eat.
Incipiant primis, tardis claudantur in annis
Gaudia, quæ dulcis spondet utrique Venus:
Et citius votis donent vos sidera prole,
Ne longa careat posteritate Domus.
Hæc vestra, cum tempus adest, ab imagine discat
Ad plausum gressus instituisse suos;
Immo etiam audebit famam superare Parentum;
Quorum fama haud est sic superata minor.
Finierat Phœbus; subitasque evasit in auras,
Ut levis, extincto lumine, fumus abit.
Excitus e somno, Phœbi transcribere versus,
Transcriptos statui mittere, Vice, tibi:
Tu, precor, excipias: aliis par rebus agendis
Si fuero, præbe mox nova jussa. Vale.

ELE-

ELEGIA II.*

RAPTA sit e gremio dulcissima Nata Parentis,
Dum patiens aetas est modo facta viri:
Jam de more sacer consultus nunciat Auspex,
Omnia quaesitos fausta dedisse Deos:
Incedat rubicunda genas, ornata capillos,
Incedat Charitum consociata choro.
Cum tamen incedet, nubant huic flammea vultum:
Sic est visa minus frons pudibunda pati.
Illud & in causa est, deceant cur flammea Sponsam,
Ut bona perpetui sint ea signa tori;
Namque hæc Flaminicis velandi fluxit origo,
Queis est conjugii solvere vincla nefas.
Dein vivas attingat aquas, attingat & ignem:
Omen speratae prolis utrumque fovet:
Et calor, & mistus foetum simul educat humor;
Hinc aqua virginibus, tactus & ignis erat.
Tum triplices veniant praetexta veste Puelli;
Et studeat fungi munere quisque suo:
Substineant gemini properanti brachia Nuptæ;
Qui superest, dextrâ praeferat ante facem.
Adsit Amicorum coetus, dulcesque Propinqui;
Dentque operam risus conciliare jocis;
Ut timidum Sponsae aspectum, gressusque morantes
Ipsi animent dictis, sollicitentque prece.
Turba Puellarum, roseis praecincta coronis,
Clamet ovans, Hymen, o Hymenaee veni.
Post hæc, infuso postes ungantur olivo;
Uxor ab ungendo dicta sit unde, ferunt:

Et

* In Nuptiis Andreæ Coppola, Ducis Cansani, & Lauræ Caracciolo, e Marchionibus Amorusii.

Ad veterum Romanorum Nuptiales Ritus & Formulas adluditur.

Et, quas Relligio prohibet calcare Puellis,
Exornet primas lanea vitta fores;
Ne Virgo ingrediens, mox depositura pudorem,
Te lædat gressu, Vesta pudica, suo.
Tandem Sponsa Viro, sistens prope limina, dicat:
Caja tibi fuero, si mihi Cajus eris.
Communis rerum his verbis inducitur usus;
Ut se communis corporis usus habet.
Interea, Famulæ, genialem sternite lectum:
Lectus enim Genio dicitur esse sacer.
Et vos, o Pueri, dimittite brachia Nuptæ;
Et sinite, ut lecto Pronuba docta locet.
Donet vos nucibus Sponsus, queis inter eundum
Ludite; de facili sallitis inde viam.
Sacra Jovi nux est, ideo spargenda Puellis:
Cedit in obsequium nux ita sparsa Jovis.
Quod restat, Sponsi, ad stratum concedite lectum;
Et zonam Uxori solve, Marite, tuæ.
Atque maritalis teneant vos gaudia pacis;
Gaudia non ulla dissoluenda die.
Nos tamen interea lætis speramus ab astris,
Ne frustrare diu vos ea prole velint:
Ut teneros blande Genitorum lactet amores,
Horum inter ludens brachia cara puer;
Qui crescens annis, spectare per atria vultus
Majorum cupiet, queis nitet ampla Domus;
Et laudum stimulis primo perculsus in ævo,
Monstret virtutis dulcia signa suæ:
Ut, gestis ornans longe sublimibus Orbem,
Belli dicatur gloria, pacis honor.

ELE-

ELEGIA III.*

AD AMICOS.

ADSUMUS, & vestrum numerum complemus, Amici;
 Quo nil dulce mihi creditur esse magis;
Atque Elegos, quostunque meum mihi suggerit œstrum,
 Non semel allatos, rursus & ipse fero.
Forte quis objiciat, cur non Epigrammata scribam;
 Cur non & Lyricis applicuisse velim.
Responsum accipiat: Non hæc, non illa juvabunt,
 Cum mihi materies carminis exstet Amor:
Huic facta est vario gaudens Elegeïa versu;
 Induit huic mites mitior ipsa sonos:
Et salit hic posito, demto pede decidit illic;
 Alternasque subit dispare lege vices;
Atque ita luxuriat nativo picta lepore,
 Et movet, & motas concitat arte faces.
His ergo numeris castos referamus amores,
 Quos Vir, & huic sentit juncta Puella Viro;
Et vos, o bellæ Charites, Geniique benigni,
 Queis data felici cura præesse toro,
Dicite; sic vobis vernent per tempora flores,
 Perque humeros vestis candida semper eat;
Dicite, qui geminum teneat cor mutuus ignis,
 Mutua qui gemino vulnera corde facit:
Quæque in utroque vigent animoque & corpore dotes,
 Queis alternatim captus uterque capit.
Blanditiæ veneresque omnes in Virgine ludunt;
 Formaque non alia est pulcra nitensque magis.

Flo-

* In Nuptiis Antonii Pignatelli, Marchionis Sancti Vincentii, & Annæ Franciscæ Pinelli, e Ducibus Acherontiæ.

Floret & in Sponso sua gratia, mixta decori;
Gloriaque in roseis splendet avita genis.
Hinc numquam alterius divellitur alter ab ore,
Lumina non alio, quam sibi versa tenent.
Sæpe etiam tendunt tenero sibi brachia gestu;
Hic Sponsæ e collo pendet, & illa Viri:
Osculaque accipiunt, redduntque accepta vicissim;
Quæ sacra Conjugii datque petitque fides.
Atque ita felices ducunt felicius horas;
Et sat sorte sua nescit uterque frui.
O crescens tam suavis Amor, crescentibus annis,
Corda maritali nutriat usque face;
Atque exspectanti non ultra differat Orbi
Pignora, tam multa sæpe petita prece.
Fama manebit in his non interitura Parentum,
Sudorum precio divite parta diu:
Factaque Majorum, factis producta Nepotum,
Laudibus extollent sæcla futura suis.
Quo rapior? Nobis non est hæc digna referri,
Quæ sese ante oculos obtulit, ampla seges.
Sistimus hic; nec enim teneros mihi præter amores
A Phœbo majus quid cecinisse datum.
A vobis meliora quidem speramus, Amici,
Quos meritus prima sede locavit honor.
Et mala, seu bona sint, subito quæ effecimus œstro,
Apposita his vestri nominis umbra favet.

ELEGIA IV.*

MOS est, qui nimium paucis hinc crevit ab annis,
Colligere a variis carmina multa viris:

Quod-

* In Nuptiis Cajetani Boncompagno Ludovisii, Ducis Arcis, & Lauræ Chisiæ, e Principibus Farnesiis.

Quodque olim raro fieri consueverat usu,
Plus æquo in nostra redditur urbe frequens.
Quare semper ego nunc his, nunc poscor ab illis,
Odas, aut Elegos, aut Epigramma dare.
Sæpe dedi, quandoque lubens, quandoque rogatus;
Quamvis res curo nilve parumve meas.
Nunc cuivis rigide statui quodcumque negandum;
Et merito; nam sum factus in arte piger.
Nescio qua causa; seu sit, quod creverit ætas;
Et modo non placeant, quæ placuere prius:
Sive quod hoc studium nostro sit inutile sæclo;
Partem Castalii nec juvet esse chori.
Et sane hæc visa est mihi causa potentior una,
Quæ, mentem increpitans, ad meliora trahit.
Angustam rem finge domi, dic te esse Poetam;
Ah! nihil auxilii nomen inane dabit.
Finge, quod esurias: fructus Parnassia rupes
Non habet, unde famem tu reparare velis.
Solum gignit aquas; sed aquæ nascuntur ubique,
Cum quæras avido pellere ab ore sitim.
Sunt ideo innuptæ Musæ, quia deficit illis
Credita dos, multo sed numerata magis:
Et quas non equidem servaret cura pudoris,
Servat paupertas virginitatis opes.
Phœbus amat nudus per candida membra videri:
Dî faxint, ne se vix operire queat.
Laurus, quæ reliquis certe est minus utilis arbos,
Una fuit Vatum cingere nata comas.
Non igitur, non est animi sententia fallax,
Si patior tacito plectra jacere situ,
Nec male sentit in hoc vulgus, cui rectius ille,
Plusque sapit, qui scit consuluisse sibi:
Et misera est merces nomen sperare superstes:
Spes hæc præsenti tarda medela malo est.
At quia consilii plerumque invertitur ordo;
Et nova res aliam suadet inire viam;
Nec retinetur idem, quod erat semel ante statutum;
Quandoquidem nihil est semper in Orbe ratum:

Hinc

Hinc ego, qui nullos decrevi condere versus,
Propositum cogor destituisse meum.
Cogor ab incœpto desistere; cogor & hostes
Pierides humili conciliare prece:
Parcite, clamando, varia est si nostra voluntas;
Et vos inconstans nunc fugit, inde vocat.
Nam sese ante oculos occasio faustior offert,
In qua quæsitum me tacuisse, pudet.
Egregiæ nubunt Animæ, vincloque jugali
Sese Vir magnus, magna Puella ligant.
Vir magnus: nequeo plus dicere: magna Puella:
Et qui plus dicit, dicet & ille minus.
Ergo quid referam? Virtutum mole labascit
Vena, nec est pondus substinuisse capax.
Aspera conditio! cum vellem adsurgere cantu,
Impedior, cœptis nec superesse queo.
Sed magis hinc vobis subcrescit gloria, Sponsi;
Dum modo nos inopes copia tanta facit.
Est vulgare decus, laudari posse; sapitque
Communem laudem, laudibus esse parem.
Quam paucis superare datum est gratissima laudum
Munera; vos solum hoc præstat honore frui.
Quisnam regales in vestro pectore mores
Depingat, queis nos sensimus usque rapi?
Quis titulos Atavûm, quis tot fulgentia fastis
Nomina percurrat, vel sit Apollo, lyra?
Vani conatus, similesque volentibus undas
Æquoris exiguo composuisse cado.
Qua de re tacuisse libet; studiumque tacendi
Cedet in obsequii, non sine laude, vicem.

ELE-

ELEGIA V.*

AD AMICOS.

QUO morbo afficiar, vestrum quis nescit, Amici,
Cum quibus est feries sæpe relata mali.
Vos dulci lenire meas sermone querelas;
Vos dubiæ menti ferre soletis opem.
Quid tamen hæc prosunt? Ea vis est insita morbo,
Perfidus ut vinci vix ratione sinat.
E stomachi vitio tristissima manat origo,
Qui sibi mandatum non bene munus obit.
Vespere, seu media sumtum sub parte diei,
Aut raro, aut lente concoquit iste cibum.
Inde reluctando tumidus per viscera flatus
Fluctuat, ut ventis unda agitata maris:
Hic sursum saliens, cerebrum vertigine torquet:
Et pallent, visu deficiente, genæ.
Quam refero, minor est nostræ pars aspera labis:
Præter id, affectus sum graviore malo.
Funesto rerum aspectu mens ægra fatiscit,
Innumera hinc illinc septa pericla timens.
Ordiri insidias ipso vel ab aere mæstus
Suspicor, & quovis occubuisse gradu.
Hinc macer est vultus, fuerat qui pinguis; & ipse
Languens, qui nituit floridus ante, color.
Nescius incedo, quo vadam, aut unde revertar;
Quos manibus prensem, cum quibus ipse loquar.

D *Officiis*

* In Nuptiis Jacobi Francisci Milano-Franchi de Aragonia, Principis Ardoris, & Henricæ Caracciolo, e Principibus Sanctiboni.
Cum hæc scriberet Auctor, hypocondriaco morbo afficiebatur.

Officiis careo: per iter plerumque salutem
Non soleo imprudens restituisse datam.
Seu pes, sive caput doleat, non signa doloris
Innocui, ast reputo proxima signa necis.
Admoveo ad pulsum digitos, trepidansque requiro,
Num sese aequatis motibus ille ferat.
Adstantes rident, facturi pejus & ipsi,
Si gemerent victi conditione pari.
Quam facile est sanis, vivendi edicere leges,
Cernere & in tuto damna aliena loco.
Haec, durante die, cruciant incommoda; multo
Sed pejora manent, cum tegit umbra polum.
Discordes agitant per noctem insomnia sensus;
Et mille ante oculos spectra timenda parant.
Palpitat insolite circum praecordia pulmo;
Spiritus in clauso gutture torpet iners.
Saepe parum absuerat, tacita quin aure Sacerdos
Exciperet culpas, corde dolente, meas.
Nec solum cogor sine somno ducere noctes;
Strata sed & nequeo membra locare toro.
Erigor in cubitum, quo spirem laxior auras:
Hunc posse experior substinuisse situm.
Atque ita pulsantes numero nimis anxius horas;
Et queror invisas longius ire moras.
Mitto, qui teneat me scrupulus inter edendum:
Nescio pene, cibi quod genus ipse legam.
Hoc leviter gusto, non tango mordicus illud:
Omne mihi nocuum, nilque salubre reor.
Libertas ablata, meo pro more, bibendi;
Parcius ad potum lance probatur aqua.
Sed potum nimis exiguum supplere necesse est
Potu alio, praebet quem mihi mane scyphus:
Hic calidis lymphis herbae miscentur amarae;
Nam vim, quae stomacho prosit, amaror habet.
Et doleo, tali cum sim lassatus ab usu,
Concoctam calida sorbitione gulam.
Consilium a Medicis petimus, quot in urbe morantur;
Illis ante licet sit data nulla fides.

Mon-

Monstrata sunt mille viæ: tentavimus omnes:
Qualibet ærumnis vana reperta meis.
Vos unum affertis, cari, solamen, Amici,
Quo nostra est reddi visa repente salus.
Dicitis, egregiam Sponso nupsisse Puellam,
Qui nostra princeps urbis habetur honos.
Felix Conjugium, cui præsidet inclyta Virtus,
Incorrupta Fides, & generosus Amor:
Felices Animæ, quas in consortia vitæ
Tam suavis sancto fœdere jungit Hymen.
Vos genus invictum, vos fama, & splendor Avorum,
Vos morum ad Superos gloria raro vehit.
Patria, quam nimium tenere vos diligit, & jam
Dulciter impatiens pignora vestra petit,
Gratulor; & tali gestit mens ebria plausu,
Ut memorem morbi non sinat esse mei.
Vos animum interea, Socii, laxate Camœnis;
Et læti variis luxuriate modis:
Pars tuscos Vates, & pars æquare latinos,
Græcorum incipiat pars renovare melos:
Et quia lætitiæ in partem me poscitis, esse
Piscantum lusus concinuisse paro.

E C L O G A*

CORYDON, LYCIDAS,

Piscatores.

Co. *NOX est, o Lycida, jam desine, parce labori,*
Cui vigil hac tota, quis credat? luce vacasti.
Hic vidi, hic certe te vidi, albescere cœlum,

D 2 *Et*

* Idem argumentum.

Et matutina crispari fluctus ab aura
Cum cœpit; te nunc, occaso sole, jacentem
Hoc etiam scopulo, sociis in tecta receptis,
Aspicio, & miror. Ne tantas suscipe curas.
Hisce datum satis est: capias suadentis Amici
Consilium: hanc escam, hos calamos, & retia, & hamos,
Haud mora, linque: domum repetas, atque otia quæras:
Hi pisces, nec enim pauci, quos cistula servat,
Et nitidi, & vivi, & quales optantur, odori
Ornabunt mensam. Phyllis, tua scitula conjux,
Dexteritate sua lepide de more parabit.
Condimenta suis manibus suavissima callet,
Apta famem revocare; fame licet ipse per omnem,
Quam vixi, ætatem, numquam caruisse recordor;
Et numquam, plerumque licet tentaverit ante,
Assuesci potuit meus ad jejunia venter.
Sed tu, quod caput est, cœnæ ne forte recuses
Me comitem: nec erit sine dono gratia: dicam.
Oh quid ego dicam! quod tu suspensus ab ore
Accipies nostro, & grates mihi lætus habebis.
LY. *O Corydon, huc summa redit, quod nostra subire*
Tecta cupis, vescique his mecum piscibus optas.
Nil renuo; sed mitte, precor, dare verba: lubenter
Te cœnæ comitem excipio; nec talia certe
Me promissa movent: nosco hæc fallacia, nosco.
CO. *O Lycida, Lycida, cur hæc tibi nostra videtur*
Immerito suspecta fides? Nec fallere nostrum est;
Nec falli tu dignus eris: gravis ista tot annos
Lædit amicitiæ contractum injuria fœdus.
Non studeo ventri tam perditus ipse replendo,
Ut fraudum auxilio cœnam subducere tentem:
Non emere hoc vili precio tua prandia curo.
LY. *Parce tuo Lycidæ, teque hoc dixisse putabam*
Confutis sine fraude dolis; ut sæpe sodales
Inter se lusisse solent: nec crimine mendax,
Innocue cum sint mendacia ficta, notatur.
Fœdus amicitiæ non his violatur ab umbris,
Quas pariunt salse dicti, & sine felle lepores.

Pone

Pone iram, & , quoniam nunc est incensa cupido
Scire, quod ipse tenes, nihil ultra cunctor, eamus;
Tuque viæ releves lætis fastidia dictis.
Co. *E tristi mitem me reddis: tam bene nôsti*
Te mihi mellitâ lepide excusare loquelâ.
Da faciles aures: mox non implere recuso,
Quod tibi promisi; remque ipsam ex ordine pandam.
Nuper ego rediens nostræ Sirenis ab urbe,
Quo me contuleram, ut precio nonnulla pararem,
Præcipiti cursu, quo sæpius utor, anhelans,
Consedi ad fontem, vitrea qui limpidus unda
Erumpit nitida e concha, quam candida fingunt
Marmora, Olympiacus qua belle excurrere tractus
Incipit: hic placide prope murmur lene jacentem,
Et flantes cœlo captantem segniter auras,
Resque meas volventem animo, me convenit Alcon;
Et dixit: Corydon, Corydon, quæ vidimus! O te..
Quam mala fors versat, quæ dulce videre negavit
Hoc tibi spectaclum. Vultu lectissima Virgo,
Egregio conjuncta Viro, de Tibridis ora
Huc huc adveniens, famulatu cincta superbo,
Ibat ovans, populo circum accurrente per urbem.
Ly. *Siste hic, ne pergas ultra: quam detegis, ipsam*
Dudum rem teneo; nec enim tam splendida famâ
Conjugii, nostris sese celaverat oris.
Non ideo, Corydon, reddam tibi forte minores,
Quas valeo, grates: bis terque audita placebunt,
Quæ nostræ non accipiunt ingratius aures.
Nunc per iter, quoniam haud aliud pauperrima vita
Suppeditat, cantemus; ut hæc incondita nostrum
Carmina in illustres Animas testentur amorem.
Co. *Ah, Lycida, ah timeo, ne nostrum ignobile carmen,*
Et rude, & hæc solitum per patria litora fundi,
Despiciant: nostræ non est ea gloria Musæ,
Ut tantis, cum sit neglecta, superbiat ausis.
Ly. *Parce metu, Corydon, humiles in honore Camœnæ*
Sunt & apud Superos. Heroo nata cothurno
Carmina, non talem sapiunt plerumque nitorem;

 Qua-

Qualem sub cultu formati simplice cantus.
Eja age, conceptos jam nunc depone timores.
Incipe tu: sequar ipse. Sed o cessate parumper,
Obstrepere, & , posito tantisper murmure, donec
Tam placidum nostro mulcebimus aera cantu,
O scopuli, o fontes, o undæ, o auræ, tacete.
Co. *Quam bella, & nitida est, & amabilis ista Puella:*
Diligite hanc Charites, gremioque fovete tenello.
Ly. *O quam suave micans, quam floridus iste Maritus:*
Excipite, o Genii, & tractate benignius illum.
Co. *Felix Vir, plusquam felix, semperque beatus,*
Cui datur hac formâ nimis emendata Puella.
Ly. *Fortunata quidem, tam fausto nata sub astro*
Nupta recens, talem a Superis sortita Maritum.
Co. *Utere forte tua, hac uti dignissime Conjux:*
Dulcia dulciculis da dulciter oscula labris.
Ly. *Hæc etiam est tua sors; hanc sortem amplectere, Sponsa:*
Excipe dulciculis data dulciter oscula labris.
Co. *Longius hanc vitam sicsic producite uterque;*
Atque alii ex aliis veniant felicius anni.
Ly. *Sint procul, talem quæ vitam incommoda turbent;*
Lætitiæque, jocique adsint, dulcesque lepores.
Co. *Candidulæ Nymphæ, custodes litoris hujus,*
Vota secundate, & vultu ridete sereno.
Ly. *Di pelagi, quorum sub numine vivimus ipsi,*
Nos in spem tantam erectos firmate, precamur.
Co. *Evenere. Mihi festivis votibus echo*
Adsultat, totumque in plausus vertitur æquor.
Ly. *Evenere. Novo vestitur lumine cælum;*
Atque repercussis trepidant fulgoribus undæ.
Co. *Plura darem, ni tecta modo propiora paterent.*
En domus, en Phyllis recubans prope limen apertum,
Quæ tota est avide texendis dedita nassis:
Illam importune, manibus, pedibusque frementes,
Circumstant nati; & fictis jentacula poscunt
Lacrimulis; negat illa, & torvo irascitur ore;
Forte dolens, operis paulum intercludere cursum:
Instantes arcet longe; rigideque minatur,

Ac-

Accusaturam patri, cum venerit, illos.
Nec nos vidit adhuc, nam certe occurreret. Eja
Pergamus taciti: dabimusque repente salutem,
Quam timide accipiet subitâ conterrita voce
Illa; nec huic nostræ deerit sua gratia fraudi.

*LUSUS PISCATORIUS.**

DUM procul a curis, quarum sub mole laborat
Mens addicta foro, studiisque assueta clientum,
Sole sub æstivo, me non ignava sequentem
Ocia, Pausilypi colles & saxa tenerent;
Ludit ubi facilis, quæ spirat leniter, aura;
Umbrosæque virent platani; ac depicta jocosas
Ripa coronat aquas, ridetque salubrior aer;
Hic populi undantis clamorem oblitus, amica
Pace fruor, molli in tumulo, quem fecerat alga;
Grataque piscandi subeuntem munera pubem
Proximus intueor: cujus pars æquora lustrat
Exiguo in lembo; immittit pars retia ponto;
Retia pars immissa trahit; pars propter arenas
Aut legit, aut lectos componit in orbe rudentes,
Et fallit duros cantuque jocisque labores:
Nec minus a pueris duco mea gaudia, saltu
Qui sese librant nudato corpore in undas;
Et modo subter aquas se condunt; & modo supra
Emergunt; agitantque hac, illac motibus æquor.
Cum subito, ecce tibi, plausu sonuere profundi
Concava saxa; novo visum fulgescere cælum
Sidere, & insolito vestiri lumine colles;
Pausilypique jugum, Mergellinæque recessus,
Et Megaræ turres, & Olympica litora, & almus

* In Nuptiis Hadriani Carafæ, Trajecti Ducis, & Theresiæ Burghesiæ, e Principibus Sulmonis.

Sebethus pater, & gemina cervice Vesevus,
(Quæ loca tam belle nitidum Cratera coronant)
Festivos referunt festiva in imagine vultus.
Portenti quæ causa, latet. Miramur: & unde
Orta mari extemplo miracula, quærimus omnes.
Rem Triton aperit (Tritoni pandere cura est
Æquoreo in regno patriæ Sirenis honores)
Hic concham lateri appositam prius inflat, & inde
Litoris hospitibus Nymphis, Geniisque locorum,
Neptunoque patri; Lætis Connubia pompis
Excipite, o, inquit, vitrei sacra Numina ponti.
Jam jam gaudet ovans Hadriano *conjuge Virgo;*
Qui Patriæ splendor, nostri qui gloria secli est,
Quique Carafææ *superat præconia gentis;*
Exsurgitque inter titulos sublimis avitos,
Qualis Apollineo laurus gratissima serto,
Aut Pimplæ ad fontem, aut Peneïa litora circum,
Ulmorum in medio, sese fert alta sub auras.
Ergo juvat plausus cumulare, ac fausta precari
Omina, festivisque opplere his vocibus undas:
Vivite felicem, Vir, Sponsaque, vivite vitam.
Nec mora. Convenere simul, qua parte marinos
Concha dabat sonitus, Nympharum exercitus omnis,
Lutea Cymodoce, Thetis aurea, candida Doris,
Atque aliæ, formâ egregiæ, nitidæque papillis,
Nudæ humeros, agilesque pedes, & crine soluto,
(Ut decet, ac pelagi mos obtinet) Inde, moventes
Ad numerum gressus, exercentesque choreas,
Tritonis roseo geminabant carmina ab ore:
Vivite felicem, Vir, Sponsaque, vivite vitam.
Venit & ipse etiam magnus Regnator aquarum;
Muscosas inter senior se extollere cautes
Visus, arundineo frontem velatus amictu,
Æquoreisque invectus equis; quem millia Divûm,
Tyrrhenum quos marmor habet, comitantur euntem;
Atque choros Nympharum inter, sua cæruleus Rex
Subnectit, socio Divorum murmure, vota:
Vivite felicem, Vir, Sponsaque, vivite vitam.

Tum

Tum Piscatores tacito spectacula vultu
Aspiciunt, gressum retrahunt, ac cœpta morantur;
Suspenduntque operi dextram, nutuque loquaci
Hunc ille, hic illum spectat; dein ora resolvunt
In cantus; & nos sicsic cantabimus, ajunt:
Vivite felicem, Vir, Sponsaque, vivite vitam.
Interea, dum tantus habet salsa æquora plausus,
Ipse solo recubans mecum una gratulor; &, si
Forte licet, votis vota hæc communibus addo;
Ut tanto surgat generoso e germine Proles,
Par Sponsæ, atque Viro, & Majorum nominis heres,
Nobiliumque decus; cujus virtutibus amplam
Fata viam sternant, & honorum culmina monstrent
Ardua, semper io augustis calcanda tropæis;
Quo longum valeat protendere gesta parentum,
Heroumque augere chorum, & felicibus ausis
Venturum Patriæ fastos ditare per ævum.
Hæc spero. Ne spem, Superi, frustrate: secundis
Hanc precor auspiciis, vultuque fovete sereno.

LUSUS AGRESTIS. *

MOllis ubi patria deflectit clivus ab urbe,
Vestitus foliis, & amœnis obsitus umbris,
Ruricolas inter positus viret hortulus ædes;
Dulcis conatus Naturæ, optantis in unum
Delicias conferre omnes. Hic, ocia quærens,
Sepositis animus poscit requiescere curis,
Sive sub æstivis ab sole ardentibus horis,
Seu quando blande placidissima frigora spirant
Hiberni sine nube dies, dum purior æther
Invitat lento campestria visere gressu;

Sæpe

* In Nuptiis Leonardi Tocchi, Montis-militum Ducis, & Camillæ Cantelmæ, e Popolorum Ducibus.

Sæpe etiam sub vere novo; sæpe inter amicos
Autumni menses, arbustis poma ferentes.
Hic viridi circum distinguitur area buxo,
Mille ornata viis, quas flexo industria gyro
Finxerat, & vario donaverat ordine florum.
In medio vitrea serpendo it rivulus unda,
Qui teneras lambens herbas, ferit aera dulci
Murmure, jucundo lactans sata pinguia cursu:
Hunc prope, & huic ferme similes imitata susurros,
Ad tremulas frondes pacatis obstrepit alis,
Sub matutinis ludens algoribus aura.
Et, per vos etiam constat sua gratia ruri,
O caræ, & timide lustrantes prata volucres,
Quæ, pictæ pompa belle variante colorum,
Et datis, & cantu accipitis responsa vicissim;
Quæ perculsa imis repetit convallibus echo.
Huc me præteritis, nullo comitante, diebus
Contuleram tardo passu, exspectantis ad instar
Incessu graviore famem. Vix fluxerat hora,
Ac rus perveni; quo tandem ingressus, ab ipso
Recreor aspectu; captatque hic laxius auras
Spiritus; & paullum fessas ab itinere vires
Frondosa reparo, quam fecerat ornus, in umbra.
Nonnullæ hic forma egregiæ, ac ætate puellæ,
Hoc tantum ornatæ, quem dat natura, lepore;
Vestibus his, quales fert mos agrestis, opertæ,
Molle super gramen, qua præterit unda, jacentes
Neglecto teneroque situ, fastuque venusto,
Os decorant risu, & nutu verbisque jocantur.
Hæc violam lepide pallentem carpit: & illa
Te, tulipa, aspectu quæ versicolore superba es.
Ista rosam, cui virgineo vestita timore
Auget nativam rubicunda modestia formam.
Et vos, candidulo qui sidere pingitis arva,
Gelsimini, resecant aliæ accuratius ungue.
Atque aliæ e viridi decerpunt lilia trunco;
Lilia vel puro dotem furantia lacti:
Et simul his Flora donis se molliter ornant,

Et

Et specie cupiunt hac splendidiore videri.
Dein lætis omnes iterant concentibus: Hymen,
O Hymenæe veni, spes o dulcissima amantum;
Rumpe moras, fer lætitias, fer gaudia tecum:
Tecum fer dulcesque jocos, mollesque lepores.
Tu carum, tu mellitum, tu suave levamen
In teneros Sponsis tenere languentibus ignes.
O Hymen, Hymenæe veni: te pulchra Puella,
Tu juvenis pulcher pulchrum vocat. Exsere frontem
Festivam: placidum, qui te decet, indue vultum.
Per te junguntur fausto Vir Nuptaque nexu:
Per te nutritur caræ spes vivida prolis.
Tum perculsus ego rerum novitate, Quid, inquam,
Quidve velit florum ornatus? quid risus in ore?
Atque maritalem reddentia nomina pompam?
Has rogo, cuncta brevi doceant. Humanis illæ,
Quam quod par fuerat, referunt mihi talia: Ramos
Huc modo pervenit, Toccorum e stipite Germen
Connubio stabili lecta cum Virgine jungi.
Nos ductæ fama Heroum, tantique superbo
Conjugii strepitu; quamvis sub paupere tecto,
Fortunaque humili, nostris hic vivimus agris;
Hoc, quodcumque sibi est, pignus præstamus amoris,
Cantantes tenerum sparsæ per gramina carmen;
Et præ lætitia, qua pectora nostra tenentur,
Nostra coronantes festivo tempora flore.
Ipse sub hæc: Nil vestra moror dulcissima cœpta,
O nimium mihi cara, tenellula turba, Puellæ.
Sic faveat vobis Venus, & quicumque parentem
Circumstant pueri, sibi dantes oscula, Amores.
Ergo alacres renovate melos; lasciviat œstrum
Molliter, & revocet faciles ad gaudia Musas.
Nec, quia sors tenuis vobis hæc suppetit, hoc sunt
Grata minus monumenta, animi testantia plausum.
Ipsa etiam cantus non dedignantur agrestes
Numina; constructæque novis e frugibus aræ
Sæpius his placuere magis, quam divite cultu
Ornatæ, in pario referentes marmore fastum.

Non

Non deerunt, per quos Patriæ sua gloria constet,
Illustres animæ, Phœbi quos altius ardor
Tollit, & illarum veneratur nomina Pindus,
Quæ Sponsæ, atque Viri, Majorumque inclyta gesta,
Quæ nunc totus habet summis in honoribus Orbis,
Exornent plectro; ut traducta nepotibus olim
Fama patrum, mox magnanimos impellat ad ausus;
Expositaque oculis Virtutis imagine, discat
Posteritas, meritis quondam calcata tropæis,
Ipsa etiam calcare novis vestigia avorum.
Hic sistunt mea dicta: data, acceptaque salute,
Discedo. Ipsæ iterant lætæ festiva Puellæ
Carmina: nec minus hæc sapiunt iterata leporem.

EPITHALAMIUM *

VATES, divini Vates, quos Græcia, felix
Ingeniorum altrix, & nominis æmula Graii,
Roma tulit, meritoque omnis venerabitur ætas,
Et famam & laudes sublimibus inferet astris;
Siquid adhuc vestri cineres umbræque sepultæ,
Victrices ævi, & rumpentes aspera fata,
Servant Castalii, Phœbo inspirante, furoris,
Hunc mihi paulisper concedite. Carminis amplam
Offerri segetem video. Procul hinc rude vulgus,
Hinc animæ procul ignaræ. Me insania dulcis
Occupet; insolitoque ferar correptus ab æstro
Per Pindi juga, Parnassique biverticis hortos,
Fundens grande melos. Pudet, ah pudet, inter ovantes
Italiæ plausus, humiles ad plectra Camœnas
Poscere, & e facili myrto mihi texere fertum.

Ecce

* In Nuptiis Serenissimi Antonii Farnesii, Ducis Parmæ, Placentiæ, Castri, &c. ac Serenissimæ Henricæ Estensis.

Ecce novas augusta Domus Farnesia *pompas*
Explicat, & numero prolis generosa futuræ
Consulit: en faustis Connubia læta parantur
Auspiciis; flammasque exsultans ventilat Hymen,
Indutus croceos soccos, & marcidus ebrio
Lassatoque gradu; cui vincla e floribus una
Belle contextis, & suavis amaracus umbrat
Festivo nitidam frontem sudore madentem.
Proh Superi, qui Vir qua Virgine jungitur! An vos
Huic par Conjugium innumeris vidistis ab annis,
O Charites? Quot enim votis ardentibus ante
Fata laborarunt, ut suspirata rediret
Hæc auro signanda dies, qua maximus Heros
Egregiam legeret vitæ in consortia Sponsam.
Felix, o nimium felix, si immensa cupido,
Qua blande crucior, celebrandi divite vena
Et Sponsam, atque Virum, posset pro viribus æquis
Expleri, & chartis inscribi nobile carmen!
Nam quem te memorem, Antoni, *fors unica secli,*
Præsidium Latii, dulcisque & cara tuorum
Invidiæ, optataque futura superbia prolis?
Non tu, non inter lusus, & inertia tecti
Commoda, non inter nugas ignobilis oti,
Pulchræ ducebas exordia prima juventæ.
Credebas te deesse tuis natalibus, istud
Sectando vitæ genus, oblitumque supernæ
Indolis, abs te ipso timide descíscere. Quare,
Qui tibi fervebat sub pectore, vividus ardor,
Impatiensque Orbis tantum hos cognoscere fines,
In quos & nutu, & sceptro dominaris avito,
Ultra pergere amans, tractus lustraverat omnes
Europæ, & mores populorum, & maxima Regum
Ingenia, & quod erat spectari a Principe dignum,
Passim observabat; quo mox assuesceret ausis
Grandibus, atque annis fieret prudentia major.
Te vidit plaudens, te summo excepit honore
Imperii sedes, Germania. Te quoque vidit
Anglia, & obsequio non defuit illa dicando,

Ipsa

Ipsa etiam, ipsa inquam, caput Orbis, Roma, vetustos
Credidit in te uno redivivos noscere cives,
Insignes pace, ac bello, quorum inclyta facta
Annales onerant, atque immortalia fulgent.
Te cernens propius lætata est Gallia; & ipse,
Exemplar Regum, Ludovicus, ad intima tecum
Colloquia accedens, haud raro ostendit, amico
Ore tuo pendere; tuaque in imagine vidit
Nescio quid simile & genio, & virtutibus acris
Consilii mentisque suæ; & conceperat altam
De te spem supra ætatem: nam nuncia fama
Mox acquirendæ fuerat præsentia, frontis
In qua majestas & gratia mixta nitebat,
Incessus gravis, & dulcissima copia fandi,
Atque gerendarum præludens gloria rerum:
Non secus ac, qui gramineis conspexerit arvis
Forma insignis equum, resides cui spiritus annos
Prævenit, elataque animus cervice superbit,
Fervidus, & densas fumat sub naribus ignis;
Ac standi indocilis crebro ferit ungula terram,
Indicium ac bona spes generosi pectoris: illum
Credit, cum patriis primum e præsepibus actus,
Accipiens frænum, in meliores venerit usus
Magnanimis, euro similem, fore cursibus aptum,
Spondet ubi meritas victoribus area palmas;
Aut si sanguineos, oneratus milite, campos
Lustrabit, mediosque alacer volitabit in hostes,
Pugnaturum avide, & terrorem in castra daturum.
Ista tuæ fuerant teneræ decora ampla juventæ,
Prima rudimenta, grandi excurrentia passu,
Intentata aliis, opera ad sublimia cursum.
Nam, nisi te dignum, quid non responderat istis
Principiis, cum jam paulatim adoleverat ætas?
Deliciæ, & communis amor, fortunaque Regni
Diceris; & quot sunt tituli, quos repperit audax
Ambitio, merito soli tibi jure sacrantur.
Quam pulchre Pietas animi, & Constantia recti,
Et reserata manus donis, & ubique parentum,

Hinc

Hinc fontes premere, hinc miseris succurrere pectus,
Efficiunt, ut tu, simul ac metuaris, ameris,
Nullaque subjectas discordia concitet urbes.
Te quoque non sileam, tanto conjuncta Marito,
Henrica, Estensi *magnum de Stipite Germen,*
Et major sexu, majorque ætate Virago.
Nosco equidem, quam tu belle formata paterno
Sub studio fueris. Vel adhuc te infante, tenellos
Ille tibi instruxit mores; docuitque, videri
Ipso te natam patre dignam, ipsumque futurum,
Te nata clarum fortunatumque parentem.
Quid mirum, si in te fulgent, crescentibus annis,
Tam raræ dotes animi, quibus omnium ubique
Corda trahis, cunctosque adigis te extollere cælo?
Tractando facilis vis a quocumque rogari;
In quæcumque cupis descendere vota rogantis.
Hoc regnare putas, Regno clementius uti:
Nec tibi, sed vixisse aliis, hoc vivere censes.
His tamen, his opibus, dederat quas mascula Virtus,
Junxit opes Natura suas; speciemque decoram,
Et pulchram, qua nil magis, addidit. Illa ruborem
Est furata rosis, lac est furata ligustris,
Ut multos placido tibi spargeret ore lepores:
Fingendis oculis, quicquid formosius usquam est,
Congessit, fecitque duas, tua lumina, stellas,
Mixta tamen suavi, quo crescit gratia, risu:
Qualis sæpe dies, aurora oriente, videtur
Fulgere, cum cælum, discussis protinus umbris,
Purius apparet, matutinæque pruinæ
Luce repercussæ, solis quæ nunciat ortum,
Scintillant teneris diffusæ molliter herbis;
Et zephyrus leni discurrens prata susurro
Crispat aquas rivi, cursu refoventis aprico
Mille coloratos diverso sanguine flores.
Hæc, o Nupta, tamen dos formæ augetur ab illis
Ingenuis vitæ studiis, quibus ipsa colendis
Sæpe vacas, gaudesque omnes adjungere curas:
Præcipue, quæ te saltando vincat, & artus

Compo-

Componat meliore situ, spatiumque recurrens,
Gestum distinguat docte magis, Itala tellus
Non aspexit adhuc, non aspectura subinde est.
Forte minus saltu insignis, minus apta movendis
In numerum pedibus poterat Diana videri;
Cum Dea per Cynthi saltus, ripasque virentes
Eurotæ, nodo crines religata fluentes,
Et nitidos rubicunda genas, risuque colorans
Aspectum, Nymphis, vicina colentibus arva,
Spectaclum sublime sui pulcherrima præbet,
Exercetque choros, spectantum lumina pascens:
Non quatit aut quercus frondes, aut sibilat aura:
Pigra movet sese unda: pecus non ruminat herbas;
Nec solitis timidum solvit belatibus ora;
Sed velut attonitum in rerum miracula, tanti,
Gressu suspensum, veneratur Numinis artem.
Sed quo progredior male cautus? Quis calor amens
Me tenet? infirmasque impellit ad ardua vires?
Ah! semper non est felix audacia. Tutum
Non semper, fragili Oceanum tentare phaselo.
Vos Sponsi, vosmet vobis laus amplior estis.
Alterius frustra laudem expectatis ab ore.
Orbi vestra satis, qui sitis, nomina monstrant,
Et gravida imperio, & rebus majoribus apta,
Et famam Italiæ merito factura superbam.
Vestra etiam Soboles, & qui nascentur ab illa,
Tantorum victi gestorum lumine, noscent
Intactum a vobis sibi jam nihil esse relictum,
Præter quam stimulos imitandi exempla parentum.

EPI

EPIGRAMMA I. *

DULCIS Hymen, quid agis? Teneris cur molliter herbis
Lauguidus ipse super ponis utrumque latus?
Ignoras, qui Vir Sponsæ, quæ Sponsa Marito
Jungitur? Unde tua est hæc mora tanta, rogo?
Fax extincta manu est; laurus de fronte revulsa;
Nullaque lætitiæ signa jugalis habes.
Nil mirum, inquit Hymen. Quæ sunt mea munia, Virtus
Explicat: huic uni cedere debueram.

EPIGRAMMA II. **

REGE sub invicto, cujus præsentia lætos
Nos reddit, quatias, o Hymenæe, faces;
Nobiliumque animos urge ad connubia, magnis
Ut nova perpetuo floreat Aula Viris.
Hæc tu nostra imples, Sangri, *communia vota,*
Dum Sponsæ illustri te sociare paras.
Dulce tibi solamen erit, te cernere patrem,
Et natos Regi sistere posse tuo.
Nec poteris donum Regi dare carius isto;
Et Rex non poterit carius accipere.

E EPI-

* In Nuptiis Thomæ Caracciolo, Marchionis Casæ Arboris, & Hippolitæ de Dura.

** In Nuptiis Raymundi Sangrii, Principis Sancti Severi, & Carolottæ Cajetanæ, e Ducibus Laurentiani.

EPIGRAMMA III. *

LONGA *Ætas, firmata Salus, Pax, Gaudia, Proles,*
Vos, oro, semper, Nuptaque Virque, beent.
Ista parum: majora precor sint præmia utrique,
Mentis opes, Virtus, Gloria, Plausus, Honor.

EPIGRAMMA IV. **

HAC *Virtus & Amor coëunt in imagine. Mirum!*
Cum pugnent Virtus mascula, mollis Amor.

EPIGRAMMA V. ***

EN *Pallas rediviva, cupis si noscere mores:*
Si formam spectas, en rediviva Venus.

NU-

* In Nuptiis Antonii Capycii-Minutuli, e Principibus Canusii, & Theresiæ Filingeriæ, e Principibus Arianelli.

** Ad Viri Iconem.

*** Ad Iconem Sponsæ.

NUPTIALIA CARMINA ADDITA.

E P I G R A M M A VI.*

CUR cæcus fingendus Amor; quasi lumine cassus,
Quidquid agi debet, præcipitanter agat?
Immerito infertur tanta hec injuria Amori:
Sæpe sua sapiens visus in arte fuit.
Res patet exemplo. Venetum celebratur in urbe
Conjugium, instruxit quod sapienter Amor.
Qui sapit, hoc spectat, ne quidquam in conjuge utroque
Sit dispar, quo fit turgidus alteruter.
Hoc vitavit Amor; nam splendent Sponsa, Maritus
Ingenio, forma, nobilitate pares.

E P I G R A M M A VII.**

UNicus es, Princeps, Medicei flosculus horti;
Non tamen hoc uno flore superbit humus.
Adde novos pratis generoso semine flores,
Ut florum pompa divite vernet ager.
Nec timor est, quin aura levis, quin mitior imber
Fœcundo lactet germina culta sinu:
Nec cito languebunt, certentque voracibus annis,
Semper & aspectu, semper odore pari.

E 2 HEN-

* In Nuptiis Marci Antonii Grimani, & Mariæ Pisani.

** In Nuptiis Principis Octaviani, e Familia Medicea.

HENDECASYLLABI.*

IN te blanditiæ, jocique molles
Ludunt suaviter, elegans Puella:
Os splendet nitidum venustulumque;
Ridentesque superbiunt ocelli:
Et flexi ingenio suo capilli
Perbelle niveos cadunt per armos:
Dulce frons decus explicat; tuusque
Sermo suaviloquo fluens ab ore
Grati nescio quid sapit leporis;
Rebus ut retrahas negociosis
Effictim cupidum tui Maritum.
Tu, solatiolum, levabis olli
Affectus animi severiores:
Et mox oscula tot dabis, quot ille
Poscet; reddet & ille, quot reposces:
Ducetisque dies amœniores
Inter delicias voluptuosas.

CAR-

* In Nuptiis Andreæ Coppola, Ducis Cansani, & Lauræ Caracciolo, e Marchionibus Amorusii.

CARMINUM LIBER III.

VARIA.

ELEGIA I.*

PAX animi, qua suave mori, qua vivere dulce est,
Cur inimica mihi, non reditura fugis?
Aut loquor, aut scribo, aut incedo, aut forte quiesco;
Turbant me incessus, scripta, loquela, quies.
Infelix, lacrimans, exsanguis, pallidus, æger
Et vivo, & vitæ tædet ubique meæ.
Hæc merito eveniunt: Argentum *amisimus: et quis*
Tantæ jacturæ par queat esse dolor?
Interea, ut nimiis relevarem pectora curis,
Sebethi ad ripas incomitatus eo:
Atque ferens mecum suspiria, laxius illa
Effundo ad rivum prætereuntis aquæ.
Hic inter viridis jucunda silentia prati,
Dum piger est ventus, dum piger amnis abit;
Ipse sedens humili frondosæ vitis in umbra,
Lumina subclaudo, victa sopore gravi.
In somnis rerum mihi grata occurrit imago;
Et patrio videor jam procul ire solo.

E 3 In

* In Funere Cajetani Argenti, Sac. Reg. Consilii Neapolitani Præsidis.

Incertus, timidusque vagor; feror hospes in Orbem
Ignotum; atque oculis sunt nova cuncta meis:
Cælum aliud, non sol idem, diversaque tellus
Apparet; solito mitior aura strepit.
Læta hic planities, herbis vestita minutis;
Cincta hinc lauretis, mollibus inde jugis.
In medio Templum erigitur: par cognita nusquam
Majestas; tanta mole superbit opus.
Cujus sit Templum, ignoro. Si quærere vellem,
Ante fores nullus, qui docuisset, erat.
Attonito similis volvo mea lumina; qualis,
Qui non visa prius viderat, esse solet.
Hæc inter non nota meas vox fertur ad aures:
Templum quod spectas, hoc sibi fecit Honor.
Pronus humi veneror sanctissima limina: nosco,
Quanta sit plenus relligione locus.
Surgo, atque ingredior: terret reverentia tanti
Numinis, & calco corde pavente solum.
Singula contemplor. Fumant altaria thure:
Uritur accenso cedrus odora foco:
Flore novo sparsa est tellus: laquearia fulgent
Ex auro; est pretium grande labore minus.
Stant circum Heroum vultus, qui Palladis artes
Egregie studiis excoluere suis.
Multos prætereo; sed in his, Sapientia Legum
Quos ornat, nimia sedulitate moror.
Ecce Coruncanus, *qui primus in Urbe Quiritum*
Ante alios fertur Jus docuisse palam.
Ælius *hic, fraterque suus, qui paupere censu,*
Insignes fuerant a probitate viri.
Tu quoque, Semproni, *cui summa peritia, dici*
Ut mereas, nulli quod meruere, Σοφὸς.
Dein Cato *subsequitur: vitiis non pigra notandis*
Libertas, tacito non tepet ore rigor.
Scævola *Pontificis vitta redimitus; & ipse*
Præturæ fulgens munere Brutus *adest.*
Manlius *his comes est, renuit qui parcere Nato;*
Plus civis partes, quam patris esse, ratus.

Et

Et Druso *locus est : Quid non industria vincit ?*
Cæcus enim Juri non sine laude vacat.
Proximus huic Rufus *, qui firmo pectore , fortis*
Aut duræ , aut facilis , sprevit utramque vicem.
Atque alii , quorum ingenio , ac sudore parata est
Maxima fortunæ gloria , Roma , tuæ .
Hos inter cælata basis , præcincta columnis ,
Surgebat , Statuam mox habitura super :
Hanc Statuam multa faber exornaverat arte :
Pars perfecta nitet , pars rudis exstat adhuc.
Nil fronti , nil luminibus , nil naribus , & nil
Temporibus geminis deficit , atque genis.
Vestis erat pro parte rudis ; sed veste sub illa
Forma magistratus cœperat esse togæ.
Attente intueor , velut is , qui noscere credit ,
Quem videt , & qui sit , voce referre nequit.
Forte duplex cerno signatum in marmore carmen ;
Idque reponendum sub base carmen erat .
HIC . EST . ARGENTVS . QVID . PLVRA? VEL . OMNIA . PRAESTAT
DICERE . VEL . NOMEN . COMMEMORASSE . SAT . EST
Obstupui , aspectuque novo gavisus , amica
Sorte fruor , quæ me sic inopina beat :
Et , præ lætitia lacrimis mihi dulce subortis ,
Ter cœpi tales fundere ab ore sonos :
O major te ipso , cujus sub pondere laudum
Lassa diu , vero Fama minora canit :
O dulcem invidiam facture nepotibus ; o qui
Grande ornamentum posteritatis eris :
Jure quidem generosus Honor te sede sub ista ,
Pronus in obsequium , nobiliore locat .
Cingeris hic circum tantis Heroibus ; & tu ,
Ut sol , hos humiles te sociare vides .
Hæc tua , muta licet , monumenta exosculor ; istas ,
Quas fundo lacrimas , pignus amoris , habe :
Pignus amoris habe suspiria , queis mea pasco
Pectora , queis alitur nocte dieque dolor ;
Ille dolor , quo confectus mox languit Orbis ,
Cum sua , te extincto , commoda lapsa gemat .

Talia dum refero, mira dulcedine capius,
Excitor a somno; reddor & ipse mihi.
Non sunt, exclamo, non sunt hæc somnia vana:
Nescio quid somno faustius omen inest.
Tu me, Phœbe, regis: duce te, spectacula novi,
Venturis seclis non caritura fide.
Quo non pervenient tantarum nuncia rerum?
Quis portenti expers angulus Orbis erit?
Immo ubicumque mihi gens conclamare videtur:
Numquam Virtuti præmia fraudat Honor.

ELEGIA II.*

AD ALEXIUM NIÇOLAUM ROSSI.

NE renova luctus: durum est, quod poscis, Alexi:
Ah tibi me facilem non sinit esse dolor.
Quis culpæ id tribuat? Sorti tribuatur acerbæ
Iste recusandi, quo premor ipse, pudor.
Me celebrare jubes Argenti *funera cantu.*
Desine: ne jubeas hoc mihi: flere jube.
Flere decet; nec flere mei indignantur ocelli:
Flent noctu, flendo continuantque diem.
Dum scribo hos elegos fletu scriptura rigatur;
Nec satis agnosci, sic maculata, potest.
Abstergo lacrimas: suspiro: postea rursum
Scribo; sed rursum fletus ab ore cadit.
Tot lacrimæ cursum scribendi sistere cogunt;
Cogunt e manibus deposuisse stilum:
Pagina nam spissis vitiata est tota lituris;
Nec bene formata est littera quæque notis.

Immo

* Idem argumentum.

Immo aliud scriptum, quam quod scripsisse volebam,
Aspicio; & dubito, sim modo scriptor ego:
Non secus ac, alio pergens, quam pergere tentat,
Nescit, num tulerit, quo tulit ipse, pedes.
Si poscam auxilium a Musis; labor irritus: illæ
Non minus auxilii, cujus egemus, egent:
Quisnam, qui doleat, poterit lenire dolentem?
Vel quis opem flenti, cum fleat ipse, ferat?
Tunc una mecum, jam spe dejectus ab omni,
Hos trepida incipio mittere voce sonos:
Ah nimis est jactura gravis! Venientia quænam
Secla virum, Superi quem rapuere, dabunt?
Ah nimis est jactura gravis! Sperare licebit;
Sed tantum haud facile est, obtinuisse virum.
Jam video, nostræ quæ lux erepta sit urbi;
Quive malis terror, præsidiumque bonis.
Illam quis dabit erectam ad sublimia mentem,
In qua nescio quis spiritus intus erat?
Spiritus ardentes fundens per lumina flammas,
Queis alitur Virtus, nec pigra serpit humi:
Quem merito vidit sublimi sede locatum
Curia, Jus sancte reddere cuique suum;
Et regere afflictos, & ubique levare jacentes;
Et præsto cunctis ferre libenter opem.
Hæc dico, hæc semper turbata mente revolvo:
Hæc flendi causam dant, iterantque mihi.
I, fletum cohibe? potius nec flamma feratur
Sursum, nec jactus tendat ad ima lapis:
Luce sua potius careat sol, æquora motu;
Et retro fontes, unde oriuntur, eant:
Ergo privato, lacrimæ, me pascite luctu;
Mæstitiæ comites sitis ubique meæ.
Dilectæ lacrimæ, puro de sanguine natæ,
Doctæ, cum fas est, largius ire genis,
Tum, sino, cesseetis, cesset cum causa dolendi;
Duretis, duret si tamen illa, volo:
Vos tenere amplector; vestros exosculor imbres:
Pœna sit, aut ea pax, quam datis, una placet.

Hoc

Hoc habeo, quod Alexi, tibi referare, necessum est.
Parcas, implevi si tua jussa minus.
Qua causa impediar, noscis. Damnaveris illum,
Proclivis qui vult esse, sed esse nequit?

ELEGIA III. ADDITA.*

Quos mittis, tristes elegos, MATTHÆE, recepi;
Miratus, niteat quantus in hisce lepos.
Et grates reddo, nostræ quod divite vena,
Plus æquo, famæ consuluisse studes.
Non equidem merui: laudas, quod deficit in me:
Arte, nec ingenio dos mihi nulla redit.
Quique legat laudes, nimium commendet amorem:
Judicium, certe non probet ille tuum.
Sed satis hoc. Vidi, quanto tu percitus œstro,
Quæ nuper luctûs sint data signa, canas.
Nam Laurum, magni qua cingitur umbra Maronis,
Ipse refers, virides deposuisse comas.
Ut, quem perdidimus, LUDOVICI morte, doceret,
Impatiens pompam substinuisse suam.
Dum tamen hæc memoras, iterum ad suspiria pectus,
Ad lacrimas iterum lumina nostra vocas;
Atque aperis vulnus, cœpit quod tempore claudi;
Et gravius, tentas dum renovare, facis.
Scimus, qui fuerit LODOIX: non noscere vellem,
Quam noto posthac me caruisse viro.
Quid juvat, immensa primum dulcedine mergi,
Cum post gustandus tristis amaror erit?

Quid-

* Ad V. Cl. Paschalem de Matthæis, e Soc. Jesu, qui Auctori Elegiam scripserat de Obitu Dominici Ludovici, ejusdem Societatis, Poetæ disertissimi; cujus Carmina Neapol. edita ann. MDCCXLV. omnium plausu excepta fuere.

Quidve juvat, breviter spatiosa luce beari;
Dein oculos tenebris, & sine fine premi?
Eheu! qui mores, qui visus amabilis olli!
Qui gratus placido risus in ore fuit!
Heu! quantum ingenium, & felix, & ad omnia natum!
Quantaque doctrinæ mente reposta penus!:
Tres didici tanto sub Præceptore per annos,
E cathedra Sophiæ cum documenta daret.
Qui scriptis candor! Viva quæ voce venustas!
Copia quæ rerum, quæ meditantis opes!
Discipulos sollers omni pro parte juvabat;
Præstans, quam sibimet quisque petebat, opem:
Visus enim tardis patiens, subtilis acutis;
Exsuccis uber, firmus & ambiguis.
Atque Stagiritæ quamvis monumenta Magistri,
Ritu majorum, debuit ille sequi;
Ardua quæ fuerant, cultu explanavit amœno;
Abdita perspicuis explicuitque modis:
Et sale perfricuit, fuerant quæ orbata lepore,
Ut saperent, paucis quæ sapuere prius.
Nec, quæ Scriptores commenta recentia tradunt,
Nos voluit sicco transiliisse pede.
Illorum valide monstravit somnia; falsum
Qui verisimili sub novitate tegunt,
Præstare ingenio hos, dixit, ratione carere:
Laude quidem dignos, non tamen esse fide.
Sed non his tantum studiis excelluit. Illi
Pierides Vatem non habuere parem.
Præsertim versus, quorum brevis alter, & alter
Productus, nitide texuit ille stilo.
Nil addas melius, nil demas forte redundans:
Omnia nativi plena leporis erant.
Et veneres, quot habet puro in sermone Tibullus,
Invenisse illum, non rapuisse putas.
Testes appello pulcherrima CARMINA, nuper
Cusa typis, quovis non peritura die:
Quæ licet, Auctoris genio neglecta jacerent,
Quo mage cara aliis, hoc sibi cara minus;

Victa

Victa est post vitæ tam rara modestia cursum,
Vincere quam dudum non potuere preces.
Irrita debebant illius vota relinqui;
Irrita ne Patriæ vota relicta forent.
Consilium unius communis opinio fregit:
Privata potior publica causa fuit.
Nemo suis rebus posset, si vellet, abuti:
Hoc fatuum imperium provida jura vetant.
Hæc scripsi mærore animi confectus, Amice:
Parcas, incultus si tibi scriptor era.
Qui dolet, ipse sui compos non esse videtur:
Informes fœtus mens agitata parit.
Ingenii culpa, dedimus mediocria semper:
Nunc, luctus causa, deteriora damus.

ELEGIA IV. *

AD JOHANNEM BAPTISTAM CAPASSUM.

QUID *jussu*, Capasse, *tuo me cogis amico,*
Rursus nostra rudi sumere plectra manu?
Non ea, non equidem est neglectæ gloria Musæ,
Quo valeat jussus illa subire tuos.
Jamque diu annosa pendet mea fistula quercu:
Fistula vulgari nonnisi facta sono.
Jamque diu studiis animum gravioribus orno:
Seria post lusus jam tenuere locum;
Nostraque non ultro facili mens fertur ab æstro;
Et nec sponte sua carmen ab ore fluit.
Immo etiam numeros, quos aure probavimus olim,
Conor nunc digitis sæpe probare meis:

Ah

* Dum Johannes Baptista Salernus, e Societate Jesu, sacra Purpura insignitur.

Ah! metuens, ne forte mihi contractior alter;
Neu versus justo longior alter eat.
Phœbus ob id procul a Pimplæ me detinet unda;
Clamosique jubet limen adire Fori;
Cultus ubi sermonis abest; ubi gratia Musis
Nulla patet; Vati nullus habetur honos:
Atque ubi fas, posito libros evolvere plectro,
Sive, o Balde, tuos, Bartole, sive tuos.
Ergo quid tantis comitem me Vatibus optas?
Turpe est tot claros inter adesse Viros.
Quem canis, ac cecinisse jubes, sublimia poscit:
Materies non est viribus æqua meis.
Quære alios fama insignes, curisque solutos;
Quique inter ducunt ocia docta dies;
Majoresque ævo Phœbea tempora lauro
Impediunt, patrios nobilitantque lares.
Hos tecum socios suscepto adjunge labori:
Horum ope ne pigeat grandia cœpta sequi.
Altius assurgat felici Egyptius *æstro;*
Cantet & hetrusca carmina comta lyra:
Vicus, *noster amor, dicendi excultus in arte,*
Exsuperet versus, blande Catulle, tuos:
Carus & in primis revocet Galitia *Musam;*
Et breve, more suo, sed grave, gignat opus.
Scribat & egregius lepidam Mazochius *Oden,*
In qua sint veteres, queis scatet ille, sales:
Spagnolus, *dulces Vates dulcissimus inter,*
Itala suscipiat plectra movere manu:
Tuque etiam, Fraterque *tuus, sociusque* Cyrillus,
Non semel auditum fundite ab ore melos;
Quale decet famam, quæ vos super æthera tollit;
Et quæ vos dignos posteritate facit:
Ac plausu unanimi percurrite gesta Salerni;
Gesta triumphali concelebranda tuba:
Cui modo, quæ meritis longe sublimibus emta est,
Ornatura humeros Purpura sacra venit:
Cui non quæsitos Virtus largitur honores;
Spretaque sed capiti debita serta parat.

Dicite

Dicite, mox Orbi quantum decus afferet Heros,
Magnus consilio, nec pietate minor.
Dicite, quale sibi tutamen habebit in illo
Relligio, adscribat quem sibi Roma Patrem.
Atque hac, atque alia subnectite laude coronas:
Quas lege, quas lectas, huic age siste Viro:
Meque sinas iterum sedes lustrare Forenses;
Et terere arreptas, auspice sorte, vias.

ELEGIA V. *

NON semper nostras poscunt Connubia Musas:
Vertimus Aonias ad sacra Claustra fides:
Non habitu egreditur molli vestita Poesis,
Qualis visa eadem sæpius ante fuit:
Non, Hymen, Hymenææ veni, modo verberat aures;
Et neque per Vatum plectra triumphat Amor.
Altius adsurgit carmen; meritoque superbit
Noster materia splendidiore stilus.
Ipsa suo tandem splendori reddita Virtus,
Jam datur in summo concelebranda Viro.
De te, qui claros gestis sublimibus ortus,
Brancati, *superas, conscius ipse loquor:*
Natus ad ornandum, quod nos modo vivimus, ævum,
Laude quidem fulges, invidiaque super.
Hinc bene transactos studio, ac pietate labores
In primo annorum flore coronat honos.
Jam meritas ultro veniens tegit Infula crines;
Jam Pastoralis virga gerenda datur.
Hæc primæva sacri collata insignia fastus
In te quam belle, Vir generose, nitent.

Te

* Dum Archangelus Brancatius, Ordinis D. Benedicti, Abbas Monasterii Montis Casini eligitur.

Te spectaturi per totam accurrimus urbem:
Et tu spectantes visus ubique beas:
Majestas & Amor, raro simul ire reperti,
Concordes in te fœdus inire student.
Discimus hinc, quam rara tuam Prudentia mentem
Occupat, & morum quis tibi Candor inest.
Sed non hic, mihi crede, morabitur impigra Virtus:
Jam mox ulterius progredietur honos;
Dulce rudimentum meditantis grandia famæ
Sunt hæc, quæ nuper præmia sponte dedit.
Nunc quasi secreta tibi gloria ludat in umbra;
Post toto pompas explicet orbe suas:
Jam properant primas tua maxima gesta Tiaras;
Teque sacrum exspectant plurima regna ducem.
Nec, nisi me fallit sententia, longius ibit,
Cum dabit & plausus inclyta Roma suos.
Acceptura magis, quam collatura decorem,
Purpura circum humeros ambiat ire tuos.
Quin liceat sperare, tuam labentibus annis
Virtutem excelsa sede videre sitam.
Tunc a te totus votis ardentibus Orbis
Accipiet leges cernuus ante pedes:
Incipient iterum tunc aurea currere secla;
Secla sub auspiciis aurea facta tuis.
Hæc vacuis, plerumque domi, quibus ocior, horis
Exciderant plectro carmina pauca meo.
Ibam excusatum Sociis repetentibus illa,
Quod sint tam celebri non ea digna Viro;
Et simul erubui, clarissima lumina Vatum
Ipsorum numero me residere, pati:
Dum me pene fugit Latii sermonis imago,
Qua, pro more, loqui turba Forensis amat:
Atque laborando, versus vix integer exit,
Deficiente aliquo, vel superante pede.
Sed tandem officiis cari vicere Sodales;
Quorum, non levis est gloria, jussa sequi.

BE.

BENEDICTO XIV P. O. M

JOSEPHUS AURELIUS DE JANUARIO

ELEGIA VI ADDITA.

O Qui communis Pater es, qui sede refulges
Suprema, Christi qui geris Orbe vices;
Qui dotes animi divinis moribus ornas,
Et tibi commissas tam bene pascis oves;
Quique tot in lucem preciosa volumina donas,
Interitum quovis non habitura die;
Qui cunctis præsto es, præsertim intentior illis,
Qui studium ingenuis Artibus omne locant;
Excipe (nec dubito quin tu mea vota secundes)
Excipe quas fundo, pronus in ora, preces.
En rerum summam. Plures e conjunge Natos
Suscepi. His recte consuluisse meum est.
Hos inter, Clero adscitus Templisque Philippus,
Servitio & studiis jam vacat ille sacris.
De se profectus multo cum fœnore spondet,
Moribus, ingenio, sedulitate, fide.
Ipse licet primos sim semper adeptus honores:
Hisce tamen sumptu non leviore gravor.
Hinc res est angusta mihi. Quo cœpta teneri
A Nato possit semita, quærit opem.
Adde, quod hic Romæ sedem firmabit; & amplis,
Ut decet, expensis par nequit esse domus.
Ergo quærit opem. Certe dabis. Ista benignis
Gratia pollicitis est repetenda tuis.
Ut primum petii, scripto responsa dedisti,
Quæ desideriis sunt nimis æqua meis.
Sed tunc, ut posses, occasio nulla patebat:
Nunc patet, ut monstres te potuisse, locus.

Hi-

Hilarii, Eustachiique Abbas *vacat. Utere dextra*
Munifica, facilis quam reserare soles.
Hoc munus Nato confer; quo muneri usu,
Quod semel arripuit, progrediatur iter:
Id cupio: id spero; quis enim, de Principe tanto
Qui bene non cupiat, non bene speret, erit?
Sic longos faustosque Deus tibi protrahat annos;
Inque dies meritis vita sit aucta novis.

ELEGIA VII, ADDITA.*

QUO *procul a vulgo rapior? Quæ flammea pectus*
Vis agitat? Rerum quæ nova forma patet?
Quid loquar ignoro: qui sim, vix dicere tento:
Lætitia afficior: nec metus omnis abest.
Lætor, læta mihi cum sese objectet imago:
Inde metu, objecti pro novitate, premor.
Jam cæli faciem quacumque e parte serenam
Intueor; placida sub regione moror.
Hic leviter motis zephyrus circumvolat alis:
Hic tepidi currunt, & sine nube dies.
Non tonat hic æther, non fulmen ab igne coruscat;
Non nive, non densa grandine terra riget.
Sed ver perpetuum florum vestitur amictu;
Versicolor ridet fertilis herba solo.
Quis locus hic? dixi; quisnam feliciter oras
Has tenet, & tantis deliciis fruitur?
Vox subito nostras incognita fertur ad aures:
VIRTUTUM hæc statio est. Eja age, flecte caput.
Obstupui; & tacitus circum mea lumina volvo,
Noscendi cupidus, quis dedit ore sonos.

* Cum Argentina Carolina Turris Rezzonicæ, Clementis XIII. P. M. neptis, sacra Claustra subiret.

Non ullum invenio; sed longe adstare Puellas
Aspicio, atque operi consuluisse suo.
Accedo. Oh! quantus sese mihi splendidus offert
Adspectus, quo non gratior alter erit!
His supra humanam effigiem dulcissima vultus
Gratia, cælestis sparsus ubique color;
Vivaces oculi, latæ duo sidera frontis;
Atque gravis sermo, qui placet, atque monet.
Has inter Divas operosæ, intentæus adsunt
Tres numero; vigiles sedulitate pari.
Una est VIRGINITAS, quæ lilia colligit, & quæ
In calathis belle dispofuisse studet.
Altera, quæ dici vult OBSERVANTIA, nectit
Vincula, purpureis vincula mixta rosis.
Demum PAUPERTAS, gemmas quæ spernit & aurum,
Innocua exornat simplicitate dapes.
Hæc spectans quæro, cuinam dona ista parentur?
Accipe respondent; cui placet illa dari.
Nota Urbi est præclara DOMUS REZZONICA, tantis
Undique quæ titulis condecorata nitet;
Quæ pace ac belli insignes tot jactat alumnos,
Quorum fama Italis spargitur historiis.
Hæc inter spes ingentes, sub flore juventæ,
Non homini, sed amat se sociare Deo:
Illecebras Mundi, pompas contemnit inanes;
Æternas tantum præmeditatur opes.
Jam Claustrum ingreditur: jamque implent atria voces
Aligerûm: jam pax in gremio residet.
Nos hæc, parva licet, sed dona optata Puellæ
Sistimus. Illa fugit grandia, parva cupit.
Parvo perficitur mortalis vita; sed inde
Mercedem ingentem vita futura capit.
His dictis, abeunt oculis spectacula: quovis
Tempore, dilabi non ea mente sinam.
Nunc tecum ex animo, GENITOR clarissime, lætor,
Quod tanta liceat te modo sorte frui.
Magna geris: spondes gestis majora; sed ista
Præ reliquis sors est, TE PATRE, digna magis.

Quod

Quod geris, externo repetit præconia plausu;
Gaudia sors isthæc interiora parit.
Gaude ter felix, gaude, quod, munere Divûm,
Egregiam luci protuleris Sobolem;
Quæ vitat dubias, & septas mille periclis,
Ac tutas avide curat adire vias.
Illa preces Cælo fundet, quo longius annos
Pro Patriæ atque tui prosperitate trahas.
Atque novos, merito acceptis tot honoribus addas,
Queis supra invidiam floreat aucta DOMUS.

ELEGIA VIII. *

NOSTRA *hac*, Menkeni, *tibi reddit Epistola grates,*
Reddere quas præsens fusius ipse velim;
Inclyte Menkeni, *nostri lux splendida secli,*
Nate instaurandis Artibus ingenuis.
Sed parcas, si sim reddendis gratibus impar:
Qui multum debet, solvit & ille parum:
Maxima sunt odio benefacta obnoxia, quando
Victus quis nequeat par tribuisse pari.
Hæc est conditio nostri miseranda pudoris,
Quod sæpe ingrati substinet ille notam.
Hoc tamen, hoc ipsum vultu mærente fateri,
Efficit, ut videar demeruisse minus.
Culpatur nolens; non est culpabilis impos:
Hic veniâ dignus; criminis ille reus.
Et sane, quo non teneor tibi nomine! Quantum
Conaris famæ consuluisse meæ!
Vix Jurisconsultorum Respublica *nostra*
Prodiit, & patrios illa reliquit agros;
Italiam egressa est; medias pertransiit Alpes;
Venit & ad sedes, Lipsia docta, tuas:

F 2 *Ibat*

* Cl. V. Friderico Ottoni Menkenio Auctor rescribit.

Ibat inops meriti, timida ac pudibunda; patronos
Quærebat, fato non bene tuta suo:
Deficere hos metuit, qui sint laudare parati;
Non defecturos, qui laniare student:
Conscia, quo vitio plures, de more, laborent;
Qui, spretis aliis, se superesse putant.
Sed tales inter dum pergeret acta timores
Pene inspiranti dulce levamen adest.
Te felix reperit: tu humanius excipis illam;
Illam nec tristem plus latitare sinis.
Et, quod non meruit, curas, ut splendeat inter
Germanos, veteris illa recusa typis.
Multum ibi præfaris mecum; & sermone decoro
Præconem ostendis nominis esse mei.
Ingenium extollis: caperis novitate: poesi
Alliceris: gaudes judicioque gravi.
Nostraque diligitur nimium Respublica*; & illuc*
Qui veniunt, sacrum credis adire locum;
Inque hortos Venerum, atque ipsa in consortia Divûm
Admitti, censes, deliciisque frui.
Atque horum, per quos Legum Sapientia culta est,
Colloquiis aures dulce beare suas.
Dein dulces aperis non ficto pectore sensus;
Queis mea nescio quo nectare corda trahis.
Me dicis (dictum quam suave!) tenerrime amare:
O utinam hoc vere dignus amore forem!
Meque videre cupis, propiusque agnoscere vultus;
Et laudes nostro fundere in ore tuas.
Cumque novos libros potius percurrier a te,
Affirmes, quam cum sedulitate legi;
Seu quia multoties sit lectio inutilis horum;
Seu quia sistere in his te graviora vetent;
Non ita de nostro. Cum vix acceperis illum,
Inquis, mirifice te rapuisse statim:
Hærens fixus in hoc, non tam legisse, fateris,
Quam desiderio cuncta vorasse tuo.
Non es diffisus, te continuare legendo
Perpetuas noctes, perpetuosque dies.

Quod-

Quodque semel lectum est, relegis sic terque lubenter ;
Nec fugit ulla dies, quo nihil ipse legas.
Ah! nimium abriperis quodam ferventius œstro :
Debitus haud certe est hic mihi tantus honos.
In me quæ spectas, ea te feliciter ornant :
Quæ tua sunt mentis lumina, nostra facis.
Atque tuis radiis videor clarescere : dives
Credor, divitiis non tamen ipse meis :
Non secus ac nubes adverso sole coruscans,
Luce carens, solis luce superba, micat.
Tu colere, ac valide defendere Palladis artes,
Et contra ignaros, & rude vulgus amas :
Totque Opera egregia, & fati victura furorem,
Longa posse frui posteritate dabunt :
Quæque tibi faciles veniunt ad plectra Camœnæ,
Intexunt sacris laurea serta comis :
Nostraque præsertim Jurisprudentia debet
Virtuti, quod sit splendida facta, tuæ.
Tu sordes aufers, quibus obscurata jacebat,
Contendens decori restituisse suo :
Et quicquid scriptum est, purgato examine librans,
Docte, quæ bona sunt, quæ vitiosa, vides :
Atque ipsos (Patriæ neglecto prorsus amore)
Germanos, siqui non valuere, notas ;
Deposito livore, Italos tot honoribus auges,
Quos commendandos Juris in Arte putas.
In te judicium nulla re flectitur : in te
Est veri potior, quam regionis amor.
Quam rarum exemplum, sola ratione moveri ;
Dumtaxat meritum pendere lance pari!
Hinc non solus ego, verum gens nostra superbit,
Quas late cumulas, laudibus innumeris.
Nec grates a me tantum, sed rectius omni
Præstat ab Italia, quæ celebratur, agi.
Atque tibi fas est monumentum extollere : nostris
Menckenium *fastis inseruisse juvat.*
Ut, quæ nunc per te quæsita est gloria nobis,
Integra in auctorem sit reditura suum.

Hæc scripsi; & doleo, quod non, ut scribere vellem,
Prorsus te digno sint ea scripta stilo.
Nec modo scripsissem, nisi te læsisse viderer;
Et saltem hæc, quamvis sint minus apta, darem.
Passus sum, nec enim mea forsan opinio fallit,
Deficere ingenio, non tamen officio.
Perge ergo, ut bene cœpisti: tua gloria crescat
In majus, meritis semper adaucta novis:
Quod gestum est, aliis est conjectura gerendis;
Par tibi, quod gestum est, quodve geretur, erit.
At quia laudari dignis laus ipsa molesta est,
In te laudando non moror ipse diu.
Vive tibi, ac potius votis communibus, & sis,
Ut memor ipse tui, sic memor ipse mei:
Et quia nos tanto cælo disjungimur, ambo
Saltem conjuncti simus amore. Vale.

ELEGIA IX. *

EGREGII *doctique Viri, qui scribitis Acta*
Horum, qui studiis ingenioque valent;
Et famam Auctorum mensura penditis æqua,
Censores meriti, quod sibi quisque parat.
Nosco, quod fuse nobis cumuletis honores,
Et quanti nostrum vos faciatis Opus;
Quo plausu excurrat Respublica *nostra per Orbem,*
Judicio vestro nobilitata nimis;
Ut quæsita avide, ut laudata superbiat; utque
Lætetur fato se superesse suo.
Haud erat hæc merces speranda laboribus: haud hæc
Debita futilibus gloria rebus erat.
Sat fuerat, misere si non jacuisset in umbra,
Nec staret tacito pulverulenta situ.

Sat

* Ad Clarissimos Viros, qui Acta Eruditorum Lipsiæ conscribunt, Auctoris Epistola.

Sat fuerat, si quis nostris ignosceret ausis,
Et facile mendis parceret ille meis.
Nunc desiderio major fortuna paratur;
Sub vestra quovis tempore tuta fide.
Nostrum venturo nomen memorabitur ævo;
Atque ultra patrios pervolitabit agros.
Hæc vestris certe referenda est gratia Scriptis,
Quorum ope, post mortem non moriturus ero;
Nec nostros cineres invisere negliget hospes;
Nec maneam Elysiâ vilior umbra domo.
O mihi sufficerent tales in pectore vires,
Ut possem grates reddere laude pari:
Quam sese ingenium diffunderet ubere vena,
Ne foret obsequii, quale meretis, inops.
Sed spectate animum, si vox me deficit: ille
Quos condit sensus, hæc aperire nequit.
Velle & posse simul raro conjugitur. Ergo
Si non posse datur, sit voluisse satis.

ELEGIA X. *

QUOD legis, & laudas nostrum, LUDOVICE, *libellum,*
Summus amor tuus hic, sors quoque summa mea est:
Alter nil minuit decoris tibi; sed mihi multum
Altera, quo possim lætior esse, parit:
Et secum placide pugnant, & suaviter obstant
Plausus cum nostra debilitate tui.
Hoc ego non merui, cui dos pauperrima mentis,
Et cui doctrina suppetit arcta penus:
Hoc tu non debes, studiis qui grandibus addis
Ingenium, & fama splendidiore nites:
Quodque magis miror; solida, non laude fugaci,
Hasce leves nugas tollis ad astra meas,

 Cum

* Cl. V. Ludovico Antonio Muratorio Auctor respondet.

Cum tibi mos non sit, quem laudas fallere, dicam,
Quod tuus erga me, te modo fallat amor;
Purus amor, non ore tenus, sed pectore ab imo
Natus, adulandi suspicione carens.
Nosco, quod hac facili Sapientes indole gaudent:
Quippe opera alterius, quam sua, pluris habent.
Tu mihi doctrinæ fontes, tu mentis acumen,
Rerum delectum, judiciumque probas;
Amplos Græcorum ritus, ritusque Latinos,
Scriptorumque, inquis, me meliora sequi:
Ob linguæ cultum veneresque, Terentius alter,
Judice te, videor, Plautus & alter ego:
Et videor, te teste, Propertius, atque Catullus,
Dum metro adstrictos dat mea Musa sonos:
Tantaque complecti primis juvenilibus annis,
Dum reliqui incipiunt, me potuisse stupes:
Tum spondes, de me dicturum plurima, quando
Perficies Juris, quod meditaris, opus;
Hic ubi defectus tantæ monstraveris Artis,
Vitet ut incolumis dira pericla Themis.
His tu me velles sociare laboribus; & me
Consulere, ac mecum fundere colloquia.
Ah! præter meritum nostra in præconia ferves;
Et famæ nostræ satque superque faves.
Nunc ego non reddam grates, quas ipse repellis;
Queis ego reddendis non satis esse queam.
Hortor dumtaxat, summis & viribus hortor,
Hoc ne Juris Opus deseruisse velis.
Prosequere, atque unus par es, nulloque sodalis
Auxilio, quo sis magna daturus, eges;
Atque meo certe multo minus; omnibus expers
Cum sim luminibus, jam tibi forte datis.
Sic plenis fiet testatum plausibus Orbi,
Hanc quoque materiem non latuisse tibi:
Totque argumentis, queis tu celebraris ubique,
Hoc addes reliquis nobilitate pari;
Ut faustis avibus videaris ad omnia natus;
Nec pro communi dignus obire bono.

Ergo vive diu, ne quæ, te sospite, florent
Artes ingenuæ, te moriente, cadant.
Non erit Italiæ venturo gloria seclo
Egregie scriptis interitura tuis;
Quin decus huic ingens, quod barbara sustulit ætas,
Fenore tu posthac uberiore dabis;
Ut nequeant seri damnum lugere nepotes,
Quod nostri, adversa sorte, tulere patres.

GENETHLIACON.*

Fama tubas, Fortuna rotam, Victoria palmas,
Cæsariem Livor, Mars lauros, ægida Pallas
INFANTI Austriaco submittite. Scilicet ingens
Imperio, Populis, Fidei, Regnantibus, Orbi
Exoritur Columen, Spes surgit, nascitur Heros.
Gratulor, innumerosque animo, immensosque triumphos
Concipere aggredior. Novus, o, novus ecce redibit
Alcides, Thracum qui barbara signa fugabit,
Bistoniæque ferox infriget cornua Lunæ.
Pax, Itali. Pax, Hispani. Pax, Teutones. Ille,
Quem prece, quem lacrimis, quem votis quisque tot annos
Exoptabat, adest; geminus cui sceptra resignet
Orbis, & augustos cui sistat Gloria fasces.
Pieridum nunc plectra juvant: nunc laurea fronti
Serta placent: nunc Aonios lustrare recessus,
Atque Aganippæos haurire licentius amnes
Fert animus. Vos este duces, sacra Numina Pindi,
Fatidicumque œstrum Vati inspirate canenti;
Atque pares oneri vires concedite. Fas est

Tot

* LEOPOLDI, Imper. CAROLI VI filii. *Genethliaca hæc Carmina, nunc addita, prima juventute protulit clarissimus Auctor.*

Tot pompis pompas, tot plausibus addere plausus,
Atque triumphalem capiti petere inde coronam.
Huc Animæ Austriadum, Divûm genus, addita cælo
Sidera, tantisper, precor o, properate. Nepotem
Inspicite, & Pueri nascentem addiscite famam.
Credite (nec vano referam præsagia cantu)
Regnando felix, pugnando fortis, amando
Unicus in populos Infans erit. Inclyta vultum
Majestas, Pietas animum, Clementia pectus
Ornabit, grandesque heroum æquabit honores.
Fallimur o! æquare, parum est: superabit; & unus,
Quod nullus potuit, fieri potuisse, docebit.
Tot quoque Virtutis dabit hic insignia, ut Orbis
Mirari sciat hæc, imitari nesciat; & se
Pene laborantem tantis putet ille tropæis.
Quin plures referet LEOPOLDUS *ab hoste triumphos,*
Quam desiderio quisquam numeraverit. Aulam
Spernet, & ad palmas, ad bella, ad grandia cursum,
Auspice Vi, duce Spe, Fortuna teste, parabit.
Arguet ætatem Virtus, quæ crescet; inertes
Indignata moras, pinus velut alta; nec illam
Pro se, pro Populis, pro Relligione pudebit
Saxa triumphali sudore inscribere, quem nec
Cæsar in Æmathia, nec in Alpibus Annibal, ingens
Quem nec in Hispanis Pompejus sparserat oris.
Et cum tempus erit, cunas pertæsus, in hostes
Irruet, augustis calcando passibus urbes:
Ut solet in campis Aquila imperterrita, quæ dum
Pendentes collo plumas videt, evolat; auræ
Expandens alas, nidique oblita, retorto
Ungue, animo impavido, rostroque armata rapaci,
Regina aligerûm, Jovis armiger, æmula solis
Bella infert, movet arma, ciet per inane tumultus.
Huic etiam Belgique truces, fortesque Sicambri,
Thraces huic etiam, huic etiam submittere Mauri
Gaudebunt fasces; huic conspirabitis uni
Auspiciis Cælum, centenis Gloria linguis,
Obsequiis Populi, repetitis laudibus Hostes.

Hæc

Hæc ego vaticinor; nec me mea fallit imago.
Frons elata, oculi vigiles, mens ardua, vultus
Bellicus, excelsum caput, insuperabile pectus
Hæc quoque testantur: qualis dum planta recenti
Stipite prosiluit, si condecorata virescit
Frondibus, arbor erit, nimis imperiosa; furentes
Contemtura notos, & duratura procellis.
Altera, sed longe major, stat gloria Nato,
Quod talem Cælo Patrem sortitus ab alto est,
Qui nunc mendaci Sortis non indiget aura,
Major ut emineat, nam maximus eminet; & qui
Victor hyperboreas madefecit sanguine cautes;
Quique brevi vitæ cursu sub fræna redegit
Parthosque, Thracesque, immansuetosque Gelonos,
Et quos exoriens, & quos videt occiduus sol,
Quos præceps boreas, sævus quos continet auster.
Quo duce, barbaricæ devicta superbia gentis
Flevit, Sarmaticæque fugam arripuere phalanges.
Nunc totus spirat Puer hic in imagine; utrique
Par virtus, par frontis honos, par gratia vultûs;
Quod nisi sit dispar ætas Natoque, Patrique;
Quisque Patrem in Nato, vel Natum in Patre videret.
Sic est. Degenerem nequeunt educere fœtum
Regales Aquilæ. Fortes e fortibus ortum
Jure trahunt, talem semper fulgescere natum
Posteritas vidit, qualem mirata parentem est.
Cresce, Infans, cresce ad plausus. Meditare triumphos
In cunis imbellis adhuc, accingere dextram
Ad Fidei palmas, & Romæ intexe coronas.
Nasceris, Europæ tantis dum Regna querelis
Hoc præsens seclum flent desolata, ruinis
Oppressa innumeris, & toto squallida vultu.
Nasceris, insolito dum Thrax furialia ductu
In nos bella movet, flatuque animata superbo
Cornua perstringunt nostras clangoribus aures.
Tu tamen haud timeas, sed contra insurge: feroces
Sterne hostes, firma pacem, submitte rebelles;
Splendidaque ultorem spirent tua lumina Martem,

Ejice

Ejice fasciolas, quæ nectunt brachia, sævos
Sublatura enses, & bellica munera, lauros:
I, pete palmiferos Aquilis victricibus agros,
Inclyta sublimi qua vertice surgit Idume.
Hanc debellabis; tua te nam fata reservant
Eversorem Asiæ, defensoremque potentis
Imperii. Spero Syriam labentibus annis,
His oculis, his, inquam, oculis, spectare subactam,
Vindice te, spero Odrysias nostro ense cohortes
Exanimes cadere, & te, te celebrare cadendo.
Sed quid non sperem tanto sub Principe? Quis te
Non hostem timeat, vel non exoptet amicum?
Namque animi dotes, & inexpugnabile robur,
Et mentem, & dextram Tagus audiet; audiet Ister,
Ister aquis tumidus, madidisque superbus arenis;
Audiet Euphrates, adductis audiet undis
Sequana; & insueto venientia secula plausu
Undique certatim cæli ad fastigia tollent.
Sed quid plura? Tuis vis subdere fascibus Orbem?
Non secus ac alter CAROLUS, *Vade, Vince, Triumpha.*
Interea, o Venetûm Urbs fortunatissima, tantis
Usque adeo laudum titulis celebrata per Orbem,
Eja age, præteritas tandem dedisce querelas
Lætior, & victrix ad pompas instrue vultum.
Quæ mora? quæ requies? Voti jam compos, ovantes
Exsere, quos animus dudum fovet, exsere fastus..
En novus Austriaca LEOPOLDUS *ludit in aula*
Parvulus. Hic erit o decus, & tutela tuorum.
Auspice quo pugnare, quid est, nisi vincere? Felix
Pugna ergo, & vinces. Tuus imperterritus ensis
Hostiles turmas, inimicaque castra repellet,
Plurimaque Adriaco subjunget sceptra Leoni.
Sed dum fausta dies, nitidis invecta quadrigis
Fulgurat, & referunt aureos secla aurea cursus,
Ne sua lætitiæ desint spectacula, surgat,
Haud mora, surgat ovans, excelsior Appennino,
Pulcra, augusta, ingens moles, quæ dividat auras,
Et tractus ultra æthereos, ultra alitis euri

Assur-

Adsurgat sedes, fastuque elata tumenti,
Alta coronatum caput inter nubila condat;
Necnon marmoreis sit circumducta figuris,
Mygdoniaque basim centum de more columnæ
Condecorent. Vertex contradistinctus opimo
Fulgeat ornatu, simul interjecta smaragdis
Omnia sublimis niteant latera inclyta molis.
Insuper illustres positæ spectentur ubique
Heroum effigies; grandi quos Austria partu
Pro cultu & Fidei pro libertate creavit.
Atque hinc, atque illinc picti videantur in unum
Capti hostes, attriti enses, fracta arma, rebelles
Devicti, & multo rorantes sanguine fasces,
Austriadum insignis monumenta insignia famæ.
Parte alia lauri, diademata, sceptra, coronæ,
Sudoris merces, & debita dona laborum.
In medio CAROLUS, *vultu gravis, undique gemmis,*
Undique Idumæis præcinctus tempora palmis,
Sistat equo: cœtu Aligerûm comitata, superne
Splendeat alma Fides, viridi circumdata palla.
Sub pedibus, discissa genas fleat Hæresis, altos
E corde erumpens quæstus, cui Fama minetur
Excidium, strages, incendia, damna, ruinas.
Præterea amplexu foveat, sua pignora, Natum
CAROLUS *Austriades: subter dehinc Gloria, vultum,*
Atque oculos demissa, notis hoc exaret aureis:
PROLE PATER, PROLES PATRE GAUDEAT, ORBIS UTROQUE.

EGLO.

ECLOGA I.*

Thyrsis, Daphnis, & Tityrus.

THYRSIS amor Dryadum, silvarum gratia Daphnis;
Iste ovium custos, uvarum vinitor ille;
Ambo florentes annis, & Teutones ambo
Convenere, hylares vultu, qua sæpe susurrant
Muscosi fontes, & mollior eminet umbra,
Pampineique virent colles, & plurima circum
Myrtus odoratas pandit per gramina frondes.
Alter in alterius facie centum oscula figit;
Atque alternatim sua gaudia promit uterque.
THYRS. *Ludimur, an vigilo? Non ludimur, undique cerno*
Antra, lacus, silvas, arbusta, cacumina, montes.
Ergo suas Natura vices mutavit. In hortis
Lætitiæque, jocique, & pompæ, & gaudia regnant.
Limpida subsultat saxis aqua, limpida serpit
Unda per herbosas festivo murmure ripas.
Ficedulæ, passer, turdi, merulæque, palumbesque,
Ipse etiam turtur, sturnus, philomela, coturnix
Percurrunt celeri ridentia prata volatu;
Et loca, quæ circum spectas, concentibus implent.
Narcissi gaudent, violæ, salices, hyacinthi,
Liliaque, tulipæque, & odoro germine calthæ.
Miror; sed, mentis ni me sententia fallit,
Natalem Austriaci celebrant hæc arva PUELLI.
DAPH. *Hoc equidem est, nullus dubio locus. Adde, quod omnes*
Exercent choreas labenti Najades unda;
Fluminaque insueto spumant pulsata natatu.
Cornipedes Satyri sonitum per compita reddunt,
Et per inaccessæ declivia culmina rupis
Cum damis agni saltant, agnisque capellæ.

THYRS.

* Idem argumentum.

THYRS. *O felix ager, o felix cum Daphnide Thyrsis.*
DAPH. *Ite coronati, circum nemus, ite juvenci:*
Linquite oves, pueri, date plausus, fundite cantus.
THYRS. *Nunc Cereri flores, nunc Baccho cacuba, Phœbo*
Nunc fas accensis altaria sistere tædis.
DAHP. *Currite, vos omnes nuptæ innuptæque puellæ,*
Currite: terra gradu nunc nunc pulsanda soluto est.
THYRS. *Quis tamen huc properat? Ni fallor, Tityrus hic est:*
DAPH. *Tityrus est: facies, habitus, color indicat. At nunc*
Flectit iter, sua tecta petens: mora nulla: vocemus.
THYRS. *Ipse vocem; mea vox melior. Quo, Tityre, pergis?*
Tityre, ne fugias, ad nos accede, precamur.
TITYR. *Haud fugiam, o juvenes, ad vos accedo; quid ultra*
Quæritis? Hoc forsan vas lactis? Sumite: vestrum est.
DAPH. *Vana putas: tibi habe vas lactis, amice. Rogamus,*
Ut paullo nobis narres ex ordine cuncta,
Quæ tu cum sociis vidisti nuper in urbe.
TIT. *Hoc tantum? Sedeatis: agam quod poscitis. Ut nos*
Pulsantes dextra cytharam pervenimus urbem,
Obstupui, video non umquam visa. Superbæ
Hinc statuæ surgunt, illinc deflectitur arcus;
Hac via sparsa rosis, illac via splendida flammis;
Passim pyramides, & marmorei obelisci;
Passim magnifici fontes, atque atria multis
Interjecta jocis. Redivivo prædita fastu
Regia tota micat: mihi credite: certat Olympo.
THYR. *O Daphni, haud ultra teneat nos campus. Ad urbem*
Ibimus, obstabit quamvis pater, ibimus ambo.
TIT. *Sed nihil ista, favete animis, majora supersunt.*
Templum augustum, ingens, magna comitante caterva,
Ingredior. Jacet hic pura cum veste Sacerdos,
Qui Pueri regale caput lustralibus undis
Abluit. O quantus splendet Puer! Undique gentes
Suspensæ mirantur: eunt, redeuntque: videndo
Atque bis, atque iterum, numquam saturata manet mens.
Namque olli candor per pectora fulgurat, olli
Forma nitens, os suave, hilaris gena, lactea cervix
Ridet io: Pietas, Majestas, Gratia, Virtus

Regnat

Regnat in ore; micant veluti, duo lumina, soles:
Non sic in pratis vernat rosa, lilia non sic
Picta colorato serta inter florea luxu
Ostendunt virides candenti vertice pompas;
Ut Puer hic populos inter fulgebit, avitos
Tam bene magnanima referens in imagine vultus.
DAPH. *Lætor io, nimium lætor, plausuque salit cor:*
THYR. *Gratulor o, tristes abeunt de pectore curæ.*
TIT. *Sed medium Phœbus jam nunc pervenit ad axem.*
Daphni vale, vale Thyrsi. Domum peto: vultis & illam
Incolere, o juvenes? Hac mecum incedite: molles
Adspirant auræ, cælo fulgente: venite.

E C L O G A II. *

Corydon, & Mycon, Piscatores.

COR. CARE *Mycon, dilecte puer, pulcherrime rerum,*
Ah! quid agam sine te? Cur semper in urbe moraris?
Cur dulces hamos, & retia dulcia linquis?
Dum mane hinc properas, ipsi te poscere colles,
Ipsi te fontes, ipsa hæc vada salsa vocare.
MYC. *O Corydon, Corydon, mea spes, mea cura, meum cor,*
Me cives tenuere jocis, tenuere canoro
Murmure: me plausus, me gaudia, me quoque risus
(Crede mihi, nam vera loquor) rapuere: nec umquam
Hunc scopulum peterem, nisi te liquisse putarem.
CORYD. *Nunc age lætitiæ causam mihi pande; doceri*
Hanc cupio, ut pompas pompis communibus addam.
MYC. *Mi Corydon, disces ab origine cuncta; sed ante*
Ad pelagi litus, viridi sedeamus in alga,
Dum lenes regnant cauri, zephyrique salubres,

Atque

* Idem argumentum.

Atque susurrando placidum mare lambit arenas.
COR. *Tu sedeas, quia lassus: ego bene: dicito, jam nox*
Advenit, ecce cadunt nostris de rupibus umbræ.
MYC. *Postquam ego discessi, per Olympica littora gressus*
Dirigo; dehinc Megaren lustro; prope Regia tecta
Sisto libens, animo vendendi avulsa recente
Ostrea, tellinas, lepadas, cocleas, & echinos.
Hic ego turmatim video increbrescere vulgus;
Nobiliumque etiam chorus additur; aera plausu,
Atque triumphali complens spatia ampla boatu.
Aspicio sparsos flores per compita; fontes
Atque hinc, atque illinc erumpere; lumina passim;
Passim assurgentes augustis molibus arcus:
Templorum ante fores, perque ipsa palatia, magni
Cæsaris effigies, necnon uxoris Elisæ
Ingenti luxu pictæ spectantur ubique.
Interea repetita dabant tormenta fragorem,
Implebantque urbem crebris rumoribus arces.
Hujus ego ignarus, quemdam voco: Nunc age, dixi,
Cur hylares vultu promant tot gaudia cives,
Edoceas. Tunc ille, puer stultissime, nescis?
Dicitur, Austriaco Puerum de sanguine natum.
COR. *Natum? Dic melius: dic rursum: dic cito: natum?*
MYC. *O Corydon, num surdus? At hæc repetita juvabunt;*
Dicitur Austriaco Puerum de sanguine natum.
COR. *O quam læta refers, o quam gratissima. Felix*
Piscator, cælo posthac videbis aprico,
Et stabis placidas cantando tutus ad undas:
Non ultra tristes hyades, non sævus orion,
Atque procellosi turbabunt otia nimbi.
Navita securum securior ipse per æquor
Vela dabit, lætusque petet sine remige portum.
Sponte sua venient pisces ad retia: sponte
Prædonum numquam cursabunt æquora lembi.
Sed quid multa, puer? Viden ut loca proxima propter
Nesidos scopulum, Prochytæ latus, Ænariamque
Personet insolitis per litora plausibus echo.
Glauci, Tritones, Phorci, Nereides omnes

Nisæ, Tethis, Melite, Panopeaque Virgo,
Et saltant, & plectra movent, & carmina dicunt.
Mergellina viret, subsultat Pausilypi mons,
Crispantur fluctus, aër micat, omnia rident,
Mullique, cuculique, atque ipsi extollere sauri
Festivam gaudent sinuoso e gurgite frontem.
Cras ego; littoribus sol postquam surget eois,
Virginis accedam templo, quod monte sub isto,
Hoc nostrum propter litus consurgit: ibi altas
Effundam grates, & nigra corallia sistam,
Plurimaque adducam pleno conchilia succo.
Austriacum interea celebremus arundine Natum,
Ut nostri pateat monumentum, & pignus amoris.
MYC. *Incipe tu major Corydon, sequar ipse canentem.*
COR. *O honor Italiæ, Regum genus, inclytus Infans;*
MYC. *O amor Hesperiæ, belli decus, inclytus Heros;*
COR. *Tu Rex, tu Cæsar, tu rector maximus Orbis;*
MYC. *Tu Mars, tu fulmen, tu terror maximus hostis;*
COR. *Sceptra manus decorent, sceptris dominaberis Orbi;*
MYC. *Arma manus ornent, armis submiseris Orbem;*
COR. *Regna, regnando attolles trans æthera nomen.*
MYC. *Pugna, pugnando attolles trans sidera famam.*
COR. *O Piscatores nunc nunc celerate sonando;*
MYC. *O fortunati jam jam properate canendo;*
COR. *Ære placet, juvat ære sonare: sonabitis omnes.*
MYC. *Voce decet cantare: io cantabitis omnes;*
COR. *Vos undæ sonitu, sonitu vos marmora discant;*
MYC. *Vos fluctus cantu, cantu vos æquora noscant;*
COR. *Nunc vacat o, cythara modulabor lætus in umbra;*
MYC. *Nunc licet o, cymba percurram fœstus in unda.*
COR. *Sat cecini: cum tempus erit, majora canemus.*
Nox properat; tua clamat anus, ni fallor: eamus.

ECLO-

ECLOGA III.*

MYLCON, ET MOPSUS.

AD *Melitæ vitreas Mylcon consederat undas*
Piscator; zephyrosque leves, & amabilis oci
Captabat vacuus placido solatia cantu;
Muscus ubi vivo de pumice spirat odorem,
Et mites venti strepitu per inane loquaci
Inter se belle ludunt; atque ipsa jocose
Lympha furens, lambit virides nitidissima ripas:
Ac vicinus ubi mons luxuriantibus uvis
Vestitur, platanusque apricas commodat umbras,
Queis tremula aspectu vario depingitur unda.
Ille suos auris hic commendabat amores;
Et qua fervet amans, dulci languebat ab ira:
Olli prærupta rupes, scopulique sonantes
Acceptas socio reddebant murmure voces.
Interea celeri sulcabat remige pontum
Mopsus, perque fretum nudus sudabat agendo
Magna vi cymbam; qui vix, Mylcone reviso,
O Mylcon, Mylcon, iterumque iterumque vocabat:
Postea cum litus tenuit; te quærimus, inquit,
O Mylcon, animæ Mylcon pars altera nostræ.
MYL. *Quid poscis, queis esse parem me rebus agendis,*
Mopse, putas? adsum, jubeas, ubicumque necesse est
Omnem suscipiam tecum comitante laborem.
At modo quid causæ est, cur has perductus ad undas,
Insolitum læto risum portendis in ore?
Pande, quid hoc sibi vult: certe, ni fallimur, affers
Huc aliquid tu forte novi, quod gratius aures
Accipient: an rem propius tetigisse videbor?
MOPS. *O si tu; maneant quæ nos modo gaudia, scires;*

 O in-

* Dum Princeps Antonius Emanuel de Vilhena, Magnus Sacræ Religionis Hierosolymitanæ Magister eligitur.

O inquam, si tu scires, mille oscula, mille
Amplexus sine fine dares; similesque furenti
Nunc hac, nunc illac sine lege, sine ordine, Mylcon,
Saltares, caneres, impleres omnia plausu.
MYL. *Dic mihi, Mopse, oro, totis conatibus oro,*
Haud mora, lætitiæ cunctas ab origine causas.
MOPS. *Ille Heros (hunc nonne tenes?) ille inclytus Heros*
Cui nomen . . . Sed non sat nominis ipse recordor;
Et labiis habui nuper primoribus illud:
Quantum non meminisse dolet! sed siste parumper,
Fac, dextra fronti apposita, meditantis ad instar,
In mentem hoc revocetur . . . at at jam suppetit: Ille
Emanuel, *fama insignis, rebusque peractis,*
Quem sæpe audieras referentem ex hoste triumphos,
Et merita ornantem victricia tempora lauro;
Ille est, ille inquam (sic tota accepimus Urbe)
Tot tantosque Viros inter, qui temperet unus
Hanc Urbem lectus, nostrum tueatur & æquor:
Hic bene nos sperare jubet; felicia spondet
Tempora, non umquam tristi turbanda dolore.
MYL. *O piscatores socii, seponite curas;*
Huc properate: O quam lætus defertur ab Urbe
Nuncius: ad Cælum geminas extollite palmas:
Reddite Cælitibus grates: cursabimus undas
Non ultra timidi; quique has crudelius oras
Inficiet, jam nullus erit. Pax læta vigebit
Litoribus nostris: Solus vim sentiat hostis,
Qui colit Odrysias injustis ritibus aras.
Ploret & infidum devicta superbia Thracum:
Et Crux, spreta prius, Soliis evecta sub altis
Fulgeat; atque Ducum nitido decus augeat ostro;
Rursus & a toto victrix, Oriente subacto,
Excipiat cultum, & prisco se reddat honori;
Ac libertati sese sacra Numinis Urna
Restituat, Syrias pavidus nec lustret arenas
Tristis ab extrema veniens regione viator,
Cara Dei visurus ibi vestigia mortis:
Sed nos quid cessamus adhuc? Cur promere cantus

Non

Non liceat, laudesque Viri percurrere? ut æquor
Emanuel *discat tractus resonare per omnes;*
Nomine & a tanto percussa superbiat aura.
MOPS. *O utinam, Mylcon, non impar viribus esset*
Hoc opus. Anne decet tenui cecinisse camœna,
Quem non ipse quidem posset crinitus Apollo?
At nos vix miseri sarcire hæc retia docti,
Moribus imbuti piscantum, atque arte natandi,
Queis cultus nativus abest, ac gratia dictis,
Verbaque ab ore fluunt nullo condita lepore,
In medium, dic, quos cantus proferre valemus?
MYL. *Mopse, metu parcas: non is sibi grandia poscit.*
Exiguis in rebus inest sua sæpe voluptas:
Et quo simplicius, tanto est optatius olli
Carmen; & hos nostros non dedignatur honores.
MOPS. *Vera putas, Mylcŏn; sed cras meditata canemus,*
Et meliora. Domum, sole inclinante, vocamur:
Hic ubi me cari cara cum conjuge Nati,
Apposita parcis dapibus jam paupere mensa,
Jejuni exspectant foribus, vacuoque morantem
Frustrant ventre famem; patrio proin ductus amore,
Consulere his studeo. Verum cum cingar ab illis,
Ad mensam de more sedens, hæc inter edendum
Narrabo: tum quisque meo pendebit ab ore,
Prandia majori gustans aspersa sapore.
MYL. *Hic cras te exspecto: quovis, non immoror, ito.*

EPIGRAMMA I.*

I*NGREDERE hoc Templum, Dius cui præsidet Ales,*
CAROLE, festiva nunc redeunte die.
Ille

* Rex noster Carolus Borbonius adit Templum Spiritûs Sancti, ejus die festo.

Ille tuus dux est, medio quem pectore gestas:
Hoc duce, bella geres; hoc duce, victor eris.
Nec Siren tantum, te Rege, superbiet; ultra
Grandius extendes Nomen & Imperium.

FESTIVORUM APPARATUUM, ET NUNDINARUM, QUÆ NEAPOLI DIVERSIS TEMPORIBUS SUNT ACTÆ, INSCRIPTIONES

EPIGRAMMA II. *

HÆC *nova præteritis addit spectacula Siren,*
Quo fauste celebret Regia vincla thori.
Quævis materia, quævis nitet arte supellex;
Sparsa alibi, hoc uno tota coacta loco est.
Inclyte Rex, & par Regi, lectissima Conjux,
Pascite in hoc rerum lumina vestra situ.
Nunc damus hæc: dabimus majora, faventibus astris:
Altera cum genitrix, cum pater alter erit.

EPIGRAMMA III. **

HOC *varia expositum vendenda merce Theatrum*
Lætitiæ, & Pacis præmia cara notat.
Arma jacent: Tormenta silent: dominantur Amores;
Jam Sponsus Rex est: Belliger ante fuit.
Nunc transacta placent sub Marte pericla, labores;
Dum festivus Hymen patria tecta beat.
Hæc duo firmandis conducunt Numina Regnis:
Regna parat Mavors; Regnave servat Hymen.

EPI-

* In Arcu dextero Fori, ubi institutæ sunt Nundinæ Neapoli, apud Castrum novum, ob Nuptias ejusdem Regis nostri Caroli Borbonii cum Maria Amalia Walburga.

** In Arcu opposito.

EPIGRAMMA IV. *

NON frustrata diu communia vota fuere :
Conjugii donis incipit Aula frui .
Jure igitur tanto surgunt Spectacula fastu ,
Duratura parum , sed renovanda brevi .

EPIGRAMMA V. **

CAROLE , jam pater es : jam mater AMALIA . Dici
Nil mage jucundum , nil mage dulce potest .
Gloria regnandi felices reddidit ambos ;
Sed non regnandi gloria sola juvat .
Hæc fato tandem cedit , ni vita parentum
Perpetuo in natis sit rediviva suis .

EPIGRAMMA VI. ***

PLAUDITE . Luce nova solium regale coruscat :
Matre sua Proles , & Patre digna venit .
Post hanc Natorum longus numerabitur ordo ;
Queis olim Deus hæc , & nova Regna dabit :
Ut toto super Orbe potentibus imperet armis
Nullo Progenies interitura die .

* In Foribus Regii Palatii , ob natam Primogenitam Regis Caroli Borbonii .

** Latere ex uno .

*** Altero ex latere .

EPIGRAMMA VII. *

TURRIS, quam telli Rex imperat, indicat Orbi,
Fortiter a tanto Principe cuncta geri.
At quia nascuntur fortes e fortibus, ibunt
Invicti ad Natos hac documenta Patris.

EPIGRAMMA VIII. **

NON oculis tantum subjecta cibaria, merces:
Hæc manibus, Cives, integra præda data est.
Dicite, dum rapitis: Vivat Rex, Sponsaque, Proles;
Atque cito hæc redeant gaudia Prole novâ.

EPIGRAMMA IX. ***

BINA venena juvant, dictum vetus: Ergo bibamus;
Nam duplex recreat languida membra calor.
Si calor æstivus minuit de corpore vires;
Vires læta suo Vina calore fovent.

EPI-

* In elata Turri.
** Ubi Congiarium populo datum.
*** In Cella Vinaria Nundinarum, quæ æstivis temporibus actæ ad Sebethum.

EPIGRAMMA X. *

NATURÆ victrix, ratione carentia bruta,
Ars facit, ut distent a ratione parum.
Sæpius hæc narrata solent portenta refelli:
Hic testes oculi, si dubitabis, erunt.

EPIGRAMMA XI. **

AULA patet. Quod poscis, habes. Decumbere fas est:
Stare licet: datur hic, ludere, sive loqui:
Dulce est arbitrium, quo fert sua quemque voluptas,
Hoc vario aspectu, deliciisque frui.

EPIGRAMMA XII. ***

ARTOCREAS gusta: calidum sartagine fumat;
Et multo eximius certat odore sapor.
Non semel, aut iterum, sed terque quaterque placebit
Gustare; & saturo ventre redire domum.

In

* In loco, qui apud easdem Nundinas extructus est; ubi equus mira præbebat spectacula.

** In harum Nundinarum Pinacotheca.

*** Ibidem, ad Crustulariam tabernam.

In Nundinis ann. MDCCXLVI.

EPIGRAMMA XIII.

Super Ingressu.

INgredere. Aspectu ne defrauderis amœno:
Namque hic delicias, quas mage poscis, habes.
Publica lætitia est, quam REX parat. Utile Dulci
Miscet; & hoc duplici munere Regna beat.

EPIGRAMMA XIV.

Ubi prostant Edulia.

Gratior ecce locus, qui præstat Edulia; & horum
Non unum genus est, ut variare queas.
Integra non veniunt festis solatia ludis,
Si tantum gaudent lumina, venter eget.

EPIGRAMMA XV.

Ubi venduntur Vasa fictilia, Neapoli affabre confecta.

Nobile de nostro prodit Vas fictile Regno.
Quod Sinæ jactant, jam superamus opus.
Ingenium nostrum quid non feliciter audet,
CAROLE, dum nostris ausibus ipse faves!

EPI-

EPIGRAMMA XVI.

Ubi Judex adest pro criminibus coercendis.

Hic pax, hic requies, hic otia dulcia: Longe
Hinc audax, semper pronus in omne nefas.
Præsidet hic Judex, armato milite cinctus,
Quo juvet ille bonos, puniat ille malos.

EPIGRAMMA XVII.

Ubi adsunt Consules ad Commercii lites dirimendas.

Consul adest, ut lance pari Commercia constent.
Venditor hinc tutus, tutus & emtor erit:
Absque mora precium, quod convenit, accipit alter;
Absque ullis merces fraudibus alter habet.

In

CARMINUM
In Nundinis ann. MDCCXLVII.

OB NATUM

CAROLO

NEAP. SIC. AC HIER. REGI

PRIMOGENITUM FILIUM

D. O. M

DIVO JANUARIO

VT. NATUM REGI. PVERVM
DIV. SOSPITET
INSTITVTAS. QVOTANNIS. NVNDINAS
AVSPICATO. TVEATVR
VOTA. PUBLICA

EPIGRAMMA XVIII.

Spes frustrata diu pœna est: sed, rebus adeptis,
Hoc mage pœna placet, quo mage longa fuit.
Displicuit non ante dari; nunc REGIUS INFANS
Lætitia Populis uberiore datur.

EPIGRAMMA XIX.

Excipit amplexus Matris, Patris oscula carpit,
Prænoscens, quam sit carus utrique, PUER.

Cor

Cor nostrum accipiat. Quod si Matrique Patrique
Hoc dedimus; Nato gaudet uterque dari.

EPIGRAMMA XX.

BORBONIÆ Stirpis, quæ prima est Mascula Proles,
Nostra, non alia sub regione venit.
Nos tantæ sortis dites, clamabimus: Hic est,
Hic Orbis gemini qui Moderator erit.

EPIGRAMMA XXI.

Grande fuit donum, Regalem hic figere sedem,
CAROLE; perpetuum non tamen illud erat.
Hoc dare non poteras; sed qui te diligit, & nos
Præsens tutatur, jam dedit ecce Deus.

INSCRIPTIO

Super Divi Januarii Simulacro

In Nundinis

Ann. MDCCXLVIII

EPIGRAMMA XXII.

Annua jam redeunt fausto Spectacula cursu,
DIVE, sub auspiciis splendidiora tuis.

Per

Per te nos, quacumque super Regione superbi,
Invidia digni, non pietate sumus.
En, quo Rege, & qua rerum ubertate potimur!
Fac, isthac crescat, regnet & ille diu.

EPIGRAMMA XXIII. *

O *BELLÆ, & caræ, cultum quæ pingitis agrum,*
Seu niveæ sitis, purpureæve rosæ;
Ah! sinite, ut manibus possim vos carpere: vestræ
Non fur, sed custos virginitatis ero.
Vester erit melior, quam qui fuit hactenus, usus;
Et mage vester erit nobilitatus honor:
Amplius haud molles lasciviet inter amores
Gratia, quæ in foliis, quæque in odore viget:
E vobis sertum intexam; capitique Puellæ
Imponam, quæ nunc tota sacrata Deo est.
Id lucro cedet; nam vestra fugacior, uno
Duratura die, vita perennis erit.

EPIGRAMMA XXIV. **

S*CIPIO hic est; non is, quo victa est Africa; at ille,*
Aeternum pariet cui Cleopatra *decus.*

EPI-

* Ob Puellam, quæ sacris in Claustris se Deo devovet.

** In Iconem Scipionis Cigalæ, e Principibus Tirioli, quæ est appicta ejus Tragœdiæ, typis editæ, cui titulus, *Cleopatra.*

EPIGRAMMA XXV. *

HOSPES, quære locum, qui sit formosior isto;
Tum dic, si qua Domus pulchrior esse potest.
Ingredere, & specta colles, mare, litus, & urbem:
Quid, quod delicias addere possit, habes?

EPIGRAMMA XXVI. **

ORATOR primus cœtu appellaris ab omni:
Postremus (cum non sis imitandus) eris.

EPIGRAMMA XXVII. ***

HÆC aqua pura, salit quæ puro e marmore, puras
Nos Cœli Sponso posse placere, docet.

EPIGRAMMA XXVIII. ****

OH! quanto meliora dabit solatia Cœlum,
Si Fons deliciis tanta dat iste suis.

EPI-

* Apponenda ante fores Domus, familiæ INVICTI Neapoli in litore Olympiaco positæ.

** Ad R. P. Bernardum-Mariam Giacchi e Capucinorum familia.

*** Ad fontem, in sacris Virginum Claustris salientem.

**** Idem argumentum.

EPIGRAMMA XXIX. *

IGNIS sub forma Dius sese exhibet Ales,
Cujus in Æde sacra, docte Philippe, *tonas.*
Ut Terræ, Cæli sic ignis, lucet, & ardet.
Nostro in corde ardet; lucet in ore tuo.

EPIGRAMMA XXX. **

CUR modo dicendi languescere cernimus Artem?
En tibi causa: Quod ars nesciat arte tegi.
Dic, quis doctus in hoc? Dubio procul, Angelus *hic est.*
Quis par huic? Famam consule: Nullus, ait.

EPIGRAMMA XXXI. ***

SIquis scire cupit, quid bello, aut pace gerendum est,
Ut sibi grande decus mente manuque paret;
Hic, oculos paullum Montalti in Stirpe *moratus,*
Gesta imitanda magis, quam superanda notet.

* Ad R. P. M. Philippum Gatti, Ordin. Divi Augustini, sacrum Oratorem in Templo Spiritus Sancti, Neapoli.

** Ad R.P. Michaelem-Angelum e Rhegio, e Capuccinorum famil. sacrum Oratorem, in Majori Neapolitana Ecclesia.

*** In vestibulo Historiæ Familiæ de *Montalto*, ab Auctore conscriptæ.

EPIGRAMMA XXXII. *

HÆC ingens *Arbos ubi consita?* Monte *sub* alto.
Cum crescet, quo se proferet? Astra super.

EPIGRAMMA XXXIII. **

FAC, *simus sine labe, PARENS dulcissima. Quis det*
Hoc, nisi tu, fecit quam sine labe Deus?

EPIGRAMMA XXXIV. ***

NON *quod, VIRGO, meres, quod possumus, accipe Sertum:*
Cor dantis munus, non leve munus ama.

EPIGRAMMA XXXV. ****

SI *privata hominum, si publica vota valerent,*
Non foret, heu! lacrimis tristitiæque locus.
Viveret egregius, nuper quem amisimus, Heros
BERVIKIUS, *bello maximus, atque domi.*

H *Sed*

* In Arborem Familiæ *Montalto*.

** DEIPARÆ SINE LABECONCEPTÆ.

*** Aureo Serto DEIPARA præcingitur.

**** Tumulo Ducis BERVIKII.

Sed si forte parum nobis sit vivere visus;
Et famâ & meritis vixerat ille diu.
Sic præstat vixisse, ut non, quos viximus, anni,
Sed longam vitam vivere, gesta probent.

EPIGRAMMA XXXVI. *

AUGUSTI *Cineres, magni pars una superstes*
BERVIKII, *brevis hæc quos tegit urna sinu,*
Ne procul hinc migrate; licet suprema voluntas
Defuncti Herois non ita præcipiat.
Sic nostrum vulnus minus insanabile; tanti
Sic jactura Viri fiet acerba minus;
Atque Italas quicumque plagas lustraverit hospes,
Dicet: In hoc Virtus marmore clausa latet.

* Ibidem. Adluditur ad testamentum, quo jussit, suos cineres Neapoli ad Hispanias traducendos.

CAR-

CARMINA ET INSCRIPTIONES ADDITÆ.

Pro elegantiſſima Bibliotheca,

A FRANCISCO SPINELLI,

TARSIÆ PRINCIPE,

Recens inſtructa.

EPIGRAMMA XXXVII.

ADjuvet, an noceat librorum copia, lis eſt:
Lis, quæ defendi ſtrenue utrimque poteſt.
Sunt, qui contendunt, ingenti mole gravari
Ingenium; parva, cui vigor inſit, ali.
Contendunt alii, mentem non noſcere frenum;
Nec claudi anguſto limite mentis opes.
Ex his quæ melior ſententia? Judicet ille,
Qui velit. Alterutram ſi probet, ipſe probo.
Hoc unum ſtatuo: Plures conquirere libros,
Atque hos ornato diſpoſuiſſe loco;
Et ſinere, ut cunctis pateat pretioſa ſupellex,
Hæc eſt excelſi gloria ſumma Viri.
Nam quoties unus libros non devoret omnes;
Multi diviſim, quo ſatientur, habent.
Hoc tu, SPINELLÆ Gentis pars maxima, PRINCEPS,
Et cura & ſumtu ſplendidiore paras.
Sic bene reſpondes genio, quo CAROLUS ardet,
Ut perdiſcendi promoveatur amor;
Atque ſuo Pallas ſub numine læta triumphet,
Sive armata foris, ſive togata domi.
O Patriæ columen, Romanæque indolis Heros,
Tamque hujus ſecli, quam venientis honor,

Vive diu, & tot, quos cupimus, feliciter annos,
Quotquot in Orbe tuum nobile vivet Opus.

In Obitu pientissimæ Mulieris.

ROSÆ GIANNINI,

Cujus in corde inventa sunt tria vulnera.

EPIGRAMMA XXXVIII.

HÆc Mulier sacrata Deo dum flagrat amore,
Dius Amor triplici vulnere corda ferit.
Sic vivit, dum sit patitur. Miraris? Amanti
Semper idem fuerat vivere, sive pati.

In Icone

P. PHILIPPI GATTI,

E divi Augustini Familia.

EPIGRAMMA XXXIX.

HOc moriente, mori visa est facunda Poesis:
Ars facit, hac saltem vivat in effigie.

In

In Icone Regii Consiliarii

ANTONII MAGGIOCCO.

EPIGRAMMA XL.

Justitiæ hic potius pingi debebat Imago:
MAGGIOCCHI melior sic foret effigies.

EPIGRAMMA XLI. *

Hic est MAGGIOCCUS, Justi moderator & Æqui.
Invenies, tanta qui valet arte, parem?

EPIGRAMMA XLII. **

MAGGIOCCHI est eadem, ac æquæ Rationis Imago:
Alterutra, ut possis noscere utramque, sat est.

* *Idem argumentum.*
** *Id ipsum argumentum.*

P. LEONARDUS ROSINUS,

Societatis Jesu, Orator eloquentissimus, commendatur.

EPIGRAMMA XLIII.

UT nos heredes Cœli reddamur, ab Illo,
Qui supra mortem est, mors subeunda fuit.
Non satis hoc, nisi nos operemur, & ubere fructu
Uti conemur, quem Deus ipse tulit.
Et tamen hoc fructu (quis credat?) spernimus uti:
Tendimus in præceps, dum via tuta patet.
Tu, sacer Orator, dictis sapientibus, hujus
Erroris nosmet pœnituisse doces.
Indociles terres, timidos solaris, inertes
Impellis, firmas in pietate pios.
Diceret Is, Paullum cupiit qui audire loquentem,
Vel novus est PAULLUS, vel vetus ille redit.

IN NOSOCOMIO,

In ampliorem elegantioremque formam restituto.

EPIGRAMMA XLIV.

ILlos, quos morbus premit insanabilis, omni
Auxilio orbatos, excipit ista Domus.
Hæc eadem tetro primum squalore jacebat;
Angusto stabat gens miseranda situ.
Nunc spatiosa nitet; nunc est languentibus ægris
Vel mors dura minus, vel mage tuta salus.

IN-

INSCRIPTIONES

IN RESTITUTIS AC ORNATIS ÆDIBUS SACRI REGII CONSILII NEAPOLITANI.


Sub Regis effigie.

EPIGRAMMA XLV.

Fama, tot Ingeniis, tot Honoribus orta, Senatus,
Jam major per te, CAROLE, in Orbe sonat.
Utilitas Populis, Consultis Norma, Togatis
Gloria, quas dederas, Legibus aucta fuit.
Recti Cognitio, Dos Linguæ, Mentis Acumen
Nobilitant pompa splendidiore Forum.
Ista diu sub te felicia tempora currant;
Talia sub NATIS experiunda tuis.



Sub regio Stemmate.



CAROLO
PIO. FELICI. TRIVMPHATORE
NEAPOLIS. SICILIAE. HIERVSALEM. REGE

MARCHIONE. CAROLO. DANZA
PRAESIDE. SACRI. REGII. CONSILII

ARCIS. CAPVANAE. AEDES
REGIO. OLIM. DOMICILIO
HVIC. DEINDE. SENATVI. HABENDO
DESTINATAE
MAGNITVDINE. QVIDEM. ADSPECTABILES
NITORIS. INOPES
IN. HANC. ELEGANTIAM
DIV. DESIDERATAM
TENTATAM. SEMEL
PRO. DIGNITATE. NVNC. ABSOLVTAM
ADVOCATORVM. AERE. CONLATO
RESTITVVNTVR. ORNANTVR
ANN. CIↃIↃCCLII



AD DEIPARAM

EPIGRAMMA XLVI.

VIRGO digna coli, VIRGO dignissima amari;
Cum qua cuncta juvant, qua sine cuncta nocent:
Ah! rege tu vitam; rege tu, Spes unica, mortem:
Sic neque vita labor, mors neque terror erit.

IN

IN FUNERE F. BERNARDI MARIÆ GIACCO,

E Capuccinorum Familia,

Oratoris eloquentissimi.

A fronte Cenotaphii.

Quidquid id est, BERNARDE, tibi, quod solvimus, unum
Si demas animum, quem gerimus, nihil est.

Uno ex latere.

Qui vivunt, donum retinent commune loquendi:
Maxima post mortem gloria posse loqui.

Altero ex latere

Vivere cui miserum est, miserum est occumbere. Neutrum
Hoc tibi. Grande fuit vivere, grande mori.

Sub Icone, supra Cenotaphium.

Qui vivens, solidæ fuerat Virtutis imago,
Nos quoque Virtutem mortuus ore docet.

Sub alia Icone, ante ejusdem præclarissimas
Orationes typis editas.

Duplex BERNARDUS. Vitium correxerat alter:
Alter Virtutem qui celebravit, hic est.

In Regias Ædes ACADEMIÆ PICTURÆ.

Quod non est, quod abest, præsens quis reddere possit?
Ille, procul dubio, qui bene pingit, erit.

In

In Regias Ædes ACADEMIÆ SCULPTURÆ.

Sculpta putes vivos educere marmora vultus,
Ni certo scires, non ea posse loqui.

INSCRIPTIO

Scholæ ARTIS NAUTICÆ, Neapoli in Ædibus Divæ MARIÆ LAURENTANÆ ann. MDCCLII. constitutæ.

Hæc Schola, ut egregios Ars Nautica jactet Alumnos,
Ingeniis præbet, Rege jubente, facem.
Sic maris arbitrium victrix Industria frenat;
Ventorum dubiam Mens regit una fidem.



IN

IN FVNERIS APPARATV
MARCHIONIS
D. JOSEPHI MARIÆ ANDREASSI,

R. Consiliarii, ac Sacri Montis Pauperum Delegati.



D. O. M
MARCHIONI . IOSEPHO . MARIAE . ANDREASSI
REG. CAM. S. CLARAE
SENATORI . AMPLISSIMO
CVIVS . LONGAEVA . AETAS
MVLTVM . GLORIAE . SVPERADDIDIT
NIHIL . LABORIBVS . DETRAXIT
VNO
INTER . IVVENTAM . ET . SENECTVTEM
DISCRIMINE
VT . ILLA . SEMPER . EXPECTATIONE . MAIORA
PROMITTERET
HAEC.NVMQVAM. PVBLICO . DESIDERIO . MINORA
EXPLERET
VINDICI . SVO . SOLLERTISSIMO
POST . TOT . RECEPTA . BENEFICIA
SODALES . SAC. MONT. PAVPERVM
QVOD. EXTREMVM. EST.GRATI. ANIMI. OFFICIVM
MAESTISSIMI . PARENTANT



Ecce quod æternum est, defuncti splendida Virtus;
Ecce quod humanum est, quem tegit urna, Cinis.

D.O.M.

D. O. M
SVMMA . ERGA . DEVM . PIETATE
IMMENSO . ERGA . PATRIAM . AMORE
IOSEPHVS . MARIA . ANDREASSI
ITA . VIXIT
VT . SVIS . VOLVPTATIBVS
MORTVVS . VIDERETVR
ITA . MORITVR
VT . PERENNI . NOMINI
VIVERE . NVMQVAM . DESINAT



D. O. M
AEQVI . BONIQVE . CVSTOS
IOSEPHVS . MARIA . ANDREASSI
INNOCVIS . TVTAMEN
VT . NIHIL . TIMERENT
TERROR . IMPROBIS
VT . EMENDARENTVR
VTRISQVE . SVI . DESIDERIVM . INGENS . RELIQVIT
ILLIS
NE . TRANQVILLITATIS . ASYLVM
HISCE
NE . EMENDATIONIS . STIMVLVS . DEESSET



D.O.M.

D. O. M
IN . EGREGIO . MAGISTRATV
MAIOR . NE . FVERIT
FORTITVDO . AN . HVMANITAS
IOSEPHI . MARIAE . ANDREASSI
DIFFICILE . STATVITVR
NISI . VTRAMQVE . DOTEM
ITA CONIVNCTAM . QVISQVE . IVDICET
VT . CVM . ALTERAM . LAVDET
ALTERAM . SIMVL . EXTOLLAT



D. O. M
IN . EXPENDENDIS . NEGOCIIS . ACVMEN
IN . COMPONENDIS . PRVDENTIA
IN . DEFINIENDIS . CELERITAS
IOSEPHI . MARIAE . ANDREASSI
CONTRA . LABENTIS . AEVI . INIVRIAM
FAMAM . TVENTVR
IN . HIS . NIHIL . QVOD . INVIDIA . DETRAHAT
NIHIL . QVOD . NON . LAVDET
PVBLICA . FELICITAS
REPERIT.



MI-

MILITARIVM PRAEFECTORVM FVNEBRES INSCRIPTIONES.



D. O. M
EGREGIIS . VIRIS
QVI
VT . ARMA . RATIONI . SERVIRENT
COR . DEO . OBTEMPERARET
INCOMPARABILI . ANIMI . FORTITVDINE
EXIMIA . MORVM . INNOCENTIA
PRO . RELIGIOSISSIMO . REGE . SVO
C A R O L O
PRO . TVENDA . POPVLORVM . INCOLVMITATE
PVGNARVNT
POST . EXPLETOS . MILITIAE . HONORES
QVIBVS . VITA . PRAEFVLSIT
AD . IMMORTALEM . COMPARANDAM
CAELI . QVIETEM
QVA . MORS . CORONATVR
CVRATORES . PII . MONTIS
SVBSTINENDO . VIDVI . THALAMI . DECORI
INSTITVTI
IVSTA . PERSOLVVNT



D.O.M.

D. O. M
QVAM . FERVIDIS . VOTIS . SPERANT
VITA . FVNCTI . COMMILITONES
EFFVSIS . NOS . PRECIBVS
AC. INCRVENTIS . OBLATIS . SACRIFICIIS
EXPOSCIMVS
OPTIME . MAXIME . DEVS
MISERICORDIARVM . LARGITOR
FELICITATEM
IN . BEATAE . AETERNITATIS . SINV
REPOSITAM
ILLIS
INTER . BELLICOS . LABORES
PVBLICAE . TRANQVILLITATIS . VINDICES
ENVTRITIS
NE . DIVTIVS . TANTA . SORTE . CAREANT
BENIGNE . CONCEDITO

I.

Lugendi non sunt, quorum virtute parata est
Gloria, non ullo deperitura die.
Ah! nimium infelix, qui parvo tempore vitam
Ducat, nec meritis perpetuare sciat.

II.

Quam bene juncta nitet Pietas pugnacibus armis:
Utraque grata viris, utraque grata Deo.
Præmia ab hoc capiunt; capiunt quoque præmia ab illis:
Hi dant in Terris præmia, & ille Polo

III.

Qui sudore suo, qui sanguine Regna tuentur,
Nullo deberent tempore morte premi.
Sed mors illorum stimulos viventibus addit,
Militiæ ut vivat, non moriatur honos.

IV.

IV.

Hæc Lauro cumulat mæstissima Pompa Cupressum:
Utraque, quod nobis denotet, arbor habet:
Denotat, heu miserum! periturum quemque Cupressus;
At Laurus, famæ vivere quemque suæ.




INSCRIPTIONES appositæ quatuor lateribus basis argenteæ Molis, dono datæ ab Excellentissima Civitate Neap. CAROLO REGI SUO INVICTISSIMO; cujus in vertice signum ejusdem Sapientissimi REGIS, leges ferentis, inspiciebatur.



SVB . TVIS . AVSPICIIS
C A R O L E
TIMOR . QVI . LEGVM . COMES . EST
IN . AMOREM . CONVERTITVR
AMOR . IN . OBSEQVIVM
HAEC . EST . DEBITA
OPTIMO . LEGISLATORI . GLORIA
VT . ANIMOS . AEQVITATE . ALLICIAT
ASPERITATE . NVMQVAM . DETERREAT






NIHIL . QVOD . REDVNDET
POPVLI . FASTIDIVNT
NIHIL . QVOD . DESIT . IN . TVIS . LEGIBVS
C A R O L E
DESIDERANT
MAGNA . SVBDITORVM . FORTVNA
SVB . SAPIENTISSIMO . PRINCIPE
NEQVE . INVTILIBUS . GRAVARI
NEQVE . NECESSARIIS . CARERE



QVAE . TVO . PRAESENTI . NVMINE
NASCVNTVR . LEGES
C A R O L E
DVMTAXAT . MORI . TIMENT
SI . EA
QVA . ANIMANTVR
EMICANT . TRIVMPHANT
MORI . POSSIT
SAPIENTIA



ARMIS . VINCERE
PLVRIBVS . DATVM
LATIS . LEGIBVS . INCLARESCERE
PAVCIS
VTRVMQVE . TIBI
C A R O L E
ALTERVM . QVO . SVPRA . TE . NEMO
ALTERVM . QVO . INFRA . TE . OMNES
VIDEANTVR



Hanc tibi Parthenope componit, CAROLE, Molem,
Hac in Mole sui pignus amoris habes:
Hic studuit populos, hic regna, hic sculpere Leges,
Vellet, sed cordis sculpere vota nequit.

IN FUNERIS APPARATU

FERDINANDI VI,

HISPANIARUM REGIS,

Instructo in Regali Sacello Neapoli,

D. O. M

REGNO. DIGNVS . PRIVSQVAM . REGNASSET
EO. POTITVS . VT. DIV. REGNARET. DIGNISSIMVS
SVBIECTARVM . GENTIVM . PARENS . POTIVS
QVAM . PRINCEPS
FERDINANDVS. VI. REX. CATHOLICVS
MERITIS . ONVSTVS . NON . ANNIS
VITAE. CESSIT. NON. GLORIAE
QVISQVIS.ADES.LACRIMAS.COHIBE.PRECES.FVNDE
SAT. PVBLICO. PRIVATOQVE. DOLORI. DATVM
NVNC . PIETATIS. OFFICIA
LVCTVOSAE. HVIVS. REGALIS. TEMPLI. IMAGINES
SOLENNI . RITV . INDICVNT

I.

Non tu sola doles defunctum, Hispania, Regem;
Effusus toto fervet in Orbe dolor:
Rege etenim extincto, qui fama impleverat Orbem,
Implendus lacrimis integer Orbis erat.

Justi-

II.

Justitiam, qua Regna vigent, quo Numine, floret
Publica, non ullo turbine fracta, quies,
Is, quem nos flemus, coluit: nunc evocat illum,
Qui fons Justitiæ est, ad sua Regna Deus.

III.

Relligio, sine qua nec tuta, nec ampla potestas,
Quam bene ab eximio Principe culta fuit.
Noverat, Imperium firma Pietate tueri,
Humanas artes haud satis esse pares.

IV.

Hic Heros sine vi, sine bello terruit hostes;
Sanguine non fuso, Pacis adeptus opes.
Is, quem Regna timent, & amant, nil triste veretur:
Præstat Amor cultum, continet arma Timor.



In ejusdem CATHOLICI REGIS
Funebri Apparatu,

In Regali Templo S. Jacobi & Victoriæ Hispanorum, Neap. habito

D. O. M
FERDINANDVS. VI. REX. CATHOLICVS
QVI. VIVENS. IIS. TANTVM. NON. INNOTVIT
QVIBVS IPSA. INCOGNITA. VIRTVS. FVIT
MORTVVS. AB. IIS. NON. DEFLETVR
QVI. QVANTI. HABENDA. SIT
EXIMII. PRINCIPIS. IACTVRA
PRORSVS. IGNORANT
CVRATORES. HVIVS. AMPLISSIMAE. DOMVS
AC. TEMPLI
SS. IACOBI. ET. VICTORIAE. HISPANORVM
NE. RELIGIOSIS. PARCANT. OFFICIIS
QVOD. SVPREMVM. EST
OBSEQVENTIS. ANIMI. TESTIMONIVM
IVSTA. PERSOLVVNT

D. O. M
QVICVMQVE. INGREDERIS
FVNERIS
FERDINANDI: VI. REGIS. CATHOLICI
MAERENS. DOLENSQVE. SPECTATOR
INTER. LACRIMAS. QVIBVS. DOLORI. INDVLGES
ET. PLAVSVS
QVIBVS. EGREGIA. DEFVNCTI. PRINCIPIS. GESTA
LATE. ENVMERAS. MERITO. EXORNAS
ILLVD. TIBI. PRAECIPVVM. ESTO
ANIMAE. INCOMPARABILI
AETERNAE. FELICITATIS. SEDEM
COMMVNI. VOTO. DEPRECARI

OCTA-

OCTAVII CORREALII PARENTALIA

D. O. M
PATRICIO . INCOMPARABILI
DE . QVO . NIHIL . DESIDERANDVM
NISI . VT . DIVTIVS . VIVERET
NON . AD . AVGENDAM . NOMINIS . GLORIAM
QVAM . SVB . IPSIS . PVBESCENTIBVS . ANNIS
ILLE . MAXIMAM . ADEPTVS . EST
SED . AD . PVBLICAM
PROROGANDAM . FELICITATEM
CVI . VIDEBATVR . VNICE . NATVS
ORDO POPVLVSQVE . SVRRENTINVS
BENEFICIORVM . MEMOR
SINGVLARIS . EIVS . SAPIENTIAE . ADMIRATOR
OBSEQVIVM . QVOD . CVLTV . AC . REVERENTIA
VIVENTI . PRAESTITIT
E . VIVIS . SVBLATO
HOC . EXPLICAT . FVNEBRI . APPARATV



CARMINUM IN FVNERE SURRENTINI ANTISTITIS IOSEPHI SERSALII

D. O. M
IOSEPHO . SERSALIO
AMABILI . SVO . ANTISTITI
SVMMIS . VIRTVTIBVS . PRAEDITO
QVIBVS . ILLE . SVPRA . RELIQVOS . MAIOR
CVNCTIS . VIDERI . MALVIT . INFERIOR
PRO . COMMVNIBVS . VOTIS
HVIC . REGENDAE . ECCLESIAE . DATO
IN . COMMVNEM . TRISTITIAM . STATIM . EREPTO
SVRRENTINA . CIVITAS
NOBILISSIMI . FILII . VIDVA . MATER
SANCTISSIMI . PRAESVLIS . DOLENS . FILIA
POST . BREVE . GAVDIVM
QVO . LAETA . FLORVIT
IN . EXTREMVM . LVCTVM . CONVERSA
QVO . VIVET . IN POSTERVM
INTER . LACRIMAS . ET . SVSPIRIA
IVSTA . PERSOLVIT



IN FU-

IN FVNERE PRAESIDIS SVPREMI MAGISTRATVS COMMERCII,

R. CONSILIARII

FRANCISCI VENTURAE.

D. O. M

FRANCISCVM VENTVRAM
PRAESIDEM.SVPREMI.MAGISTRATVS.COMMERCII
NOBILI . GENERE . NATVM
CVNCTIS . BONIS . ARTIBVS . IMBVTVM
QVI
TOGAE . HONORES . OMNES
IN . PRIMO . IVVENTVTIS . FLORE
EX . MERITO . ET . SVMMA . CVM . GLORIA
PER SVOS . GRADVS . ADEPTVS
SVBLIMI . MENTIS . ACVMINE
IMMENSA . RERVM . EXPERIENTIA
AMABILI . MORVM . GRAVITATE
AD . SENIVM . EXPLEVIT
EHEV ! IAM . DESIDERAMVS
AH ! QVANDO . SVPERI . PAREM . DABVNT
FRVSTRA . SPERAMVS . MELIOREM



HISPANIARUM REGINAE

MARIAE AMALIAE WALBVRGAE

PARENTALIA,

HABITA NEAPOLI

IN REGALI SACELLO



PRO . TE . ISTHAEC
MARIA . AMALIA . WALBVRGA
IN . HAC . INCRVENTAE . VICTIMAE . ARA
SACRA . FIVNT . PIACVLARIA

ANIMA . INCOMPARABILIS
QVAE . QVIDQVID . MORTALE . EST . SPREVERAS
IN . REBVS . SECVNDIS . NVMQVAM . ELATA
SEMPER . CONSTANS . IN ADVERSIS
HOC . HABE
NON.INANIS.MAGNIFICENTIAE.SPECTACVLVM
QVOD. FVGACI. ADMIRATIONE. OCVLOS.DETINET
SED. QVOD.BEATAM.PARAT.AETERNITATEM
DEBITVM. CHRISTIANAE . PIETATIS. OFFICIVM



MA-



MARIA . AMALIA . WALBVRGA
QVAE . NOS . VITA . INNOCENTISSIMA . BEASTI
NVNC . IMMATVRA . MORTE . AFFLICTAS
SI . TVI . ADHVC . ERGA . NOS . AMORIS
NOSTRI . ERGA . TE . OBSEQVII . NON . ES . OBLITA
DEVM . QVEM . PROPE . VIDES . ADPRECATOR
VT . VISCERA . TVA . TVAE . OLIM . DELICIAE
F E R D I N A N D V S . IV
TENELLVLAE . AETATIS . SED . OPTIMAE . SPEI
PRINCEPS
SVAE . GLORIAE . DIV VIVAT
DIV . NOSTRAE . CONSVLAT . FELICITATI




I.

Gloria fœminei, decessit AMALIA, sexus;
Terris rapta cito, sed cito adepta Polum.
Hisce admissa locis, ubi pax sine nube refulget,
Gaudet, quod nostro vixerit orbe parum.



II.

Cui Siren thalamum, dederat Germania cunas,
Hispanum nuper ditia regna solum,
Occubuit, læta, non tristi fronte Virago:
Sic moritur, vivens qui sciat ante mori.



III.

III.

Quæ præsens dilecta fuit, dilectior absens,
Pergit ad æternos, non reditura, dies.
Ah! deflenda foret; fleri tamen illa recusat,
Incipiens vita nobiliore frui.



IV.

Haud opus exemplis, jungi quod possit in Aula
Regius eximia cum Pietate Decor.
Sic sese gessit, dum vixit AMALIA; ut esset
Digna coli a populis, digna placere Deo.



V.

Uxor cara Viro, Genitrix carissima Natis,
Ingens, quos moriens linquis, utrisque dolor.
Sed tua, quæ remanet, Virtutum splendida imago
Natis atque Viro dulce levamen erit.



VI.

Plurima Reginæ sublimia gesta latebant:
Post mortem plena nunc ea luce ni[illegible]nt.
Sic est: transactæ ne desint præmia vitæ,
Mors aperit, quidquid vita modesta tegit.



VII.

VII.

Ut cunctis, præsente animo, WALBURGA faveret,
Nullam passa fuit præteriisse diem;
Impatiensque, diem tunc amisisse, putabat,
Cum, contra votum, est visa favere minus




VIII.

Vive Deo, nobis qua cessas vivere: at esto
Nostrum, cælesti sede locata, memor.
Id præsta, & numquam Sors invidiosa nocebit;
Vertet in obsequium, quas parat ipsa, minas.


Ad Virtutum effigies, quæ in defuncta Regina admirabantur.



HVMANITATIS . VINCVLVM . AMOR
FAX . MENTIS . RECTA . RATIO
PVLCHRA . CORDIS . IMAGO . BENIGNITAS



ANIMI . ORNAMENTVM . GENEROSITAS
QVIES . POPVLORVM . IVSTITIA
PIGNVS . IMMORTALITATIS . GLORIA



PECTORIS . FLAMMA . CARITAS
FONS . AEQVITATIS . CLEMENTIA
AVXILII . ADMINISTRA . COMMISERATIO

ME-



MERITORVM . COMPENSATIO . MVNIFICENTIA
OPTIMA . VIVENDI . NORMA
RERVM . HVMANARVM . SCIENTIA




ARBITRA . DIFFICILIVM . RERVM . PRVDENTIA
AETERNORVM . CONSILIORVM
FIDA . EXPLICATRIX . SAPIENTIA



INDEX . PERFECTIONIS . INTERNAE
ERGA . DEVM . ET . SVPEROS . PIETAS
SOCIETATIS . CVSTOS . MORVM . DOCTRINA



ACTIONVM . SPLENDOR . HONESTAS
MAGNA . DOS . DEMISSA . SVI . OPINIO
PRETIVM . CAPTANDAE . BENEVOLENTIAE .
MANSVETVDO



NOBILIS . VSVRA . IN . PAVPERES . LARGITIO
IMPERII . TVTELA . CHRISTIANA . RELIGIO
CONCORDIAE . PRAESIDIVM
PROMISSORVM . FIDES

Eo



In loco, ubi eorum, qui navibus Neapolim adventant, sanitas probatur.

D. O. M
NE . QVI
SVSPICIONE . PESTIS . LABORENT
AVT . INHVMANE . EXPELLANTVR
AVT . EXCIPIANTVR . INCONSVLTE
LOCVM . HVNC
SECESSV . ET . MARI . DEFENSVM
VT . MISERIS . FORET . CONFVGIVM
VRBIS . INCOLVMITATI . TVTAMEN
A . MAIORIBVS . DELECTVM
AEVI . INIVRIA . PENE . COLLAPSVM
PVBLICAE . SALVTIS . CVSTODES
PRINCEPS . BELVEDERII . PRINCEPS . ZVROLVS
ET . V. I. D. SANCTORVS . VERNVCCIVS
AB . R. ARCHITECTO . NICOLAO . CARLETTI
INSTAVRANDVM . CVRARVNT
ANN. CIↃIↃCCLVI



In quodam Sodalium communi Sepulchro.

Mors & Vita ligat socios. His spiritus unus
Dum vivunt; ut mors ingruit, una domus.

FUNE-

FUNEBRIS APPARATUS

BENEDICTO XIV. P. M

A Sodalitate Alborum Spiritus Sancti
Neapoli institutus.



D. O. M
BENEDICTO XIV. PONT. OPT. MAX.
QVEM . HOMINEM . FVISSE
SOLA . MORS . DOCVIT
SVPRA . HOMINES . EXTOLLVNT
CETERA . OMNIA . IN . EO . PENE . DIVINA
AETERNAM . IN . POSTEROS
FAMAE . CELEBRITATEM . PARITVRA
SODALITAS . ALRORVM . SPIRITVS . SANCTI
NE . SVO . DESIT . OFFICIO
ERGA . EVM
QVI . NOBILI . PIETATIS . EXEMPLO
HVIC . SOCIETATI
IMMORTALE . NOMEN . SVVM . ADSCRIPSIT
ET . TOTIVS . ORBIS . TERRARVM
IN . CELEBRANDO . FVNERE
NOBILE . PIETATIS . EXEMPLAR
IMITARI . REFVGIAT
HOC . LVGVBRI . QVO . POTEST . APPARATV
DEVINCTISSIMO . TAMEN . QVO . DEBET . ANIMO
IVSTA . PERSOLVIT

D.O.M.



D. O. M
ANTE . HOC . CENOTAPHIVM
BENEDICTI . XIV. PONTIFICIS . MAX.
NON . LACRIMAS
HVMANAE . IMBECILLITATIS
MISERVM . LEVAMEN
SED . ANIMVM
BENEFICIIS . DEVINCTVM
ET . EGREGIARVM . EIVS . VIRTVTVM
ADMIRATOREM
FILII . OBSEQVENTISSIMI
BENEMERENTISSIMO . PATRI
SISTIMVS . AC . DICAMVS



Qui



Qui, BENEDICTE, nites, ut ſpem nutrimus, Olympo,
Noſtrum ſis Tutor, qui modo Paſtor eras.



DIES

DIES GENIALIS
OB PROROGATUM
CARDINALI
MICHAELI FEDERICO
DE ALTHANN
Proregis munus
ANN. MDCCXXV.

PEr hos æstivos menses, quibus, more majorum, vacui a negociis feriamur, declinatque Forum soluta mens ac ociosa; a consuetudine procul inertium hominum, suaves inter ac ingenuos Amicos genio indulgemus; & sæpe urbem rure commutamus; placide aliquando etiam domi mutuis nos confabulationibus non injucunde detinemur. Proximis hisce præteritis diebus, cum primo mane pedem e tecto extulissem ad captandum ex instituto saluberrimum illum cæli albescentis aerem; ecce per viam occurrunt T. Flaminius, Q. Lælius, & L. Sempronius,

1 . . . . *animæ, quales neque candidiores*
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.
O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt!

Tum hi rogant, me blande ac concinne, quî valeam, vel quo memet agam, & alia nescio quæ, quibus solent Amici inter se officii caussa brevem moram injicere: quibus ego, & bene me valere; & in animo esse, corpus matutina deambulatione leviter defatigare, ut famem obsona-

1 *Horat. Sat. IV lib. I.*

ſonarem in prandium . Si ita eſt , tum illi , ſinas quæſo , nos tibi itineris comites adjungi . Res , inquam , cecidit , ut optabam . Eamus quo lubet ; nobis profecto hanc ſpero conjunctionem voluptati fore . Jamque ex compacto iter habuimus , qua urbs ab ſeptemtrione aſſurgit in molles clivos , frondoſa vitium pompa , cæterarumque arborum viridi familia luxuriantes ; quique ſuaviſſima cœli clementia , ſituque eleganti , atque aſpectu amœniſſimo innocue ſuperbiunt . Eo tandem , quo deſtinavimus , perducti , patens ibi ſub ingreſſu primo rus offendimus ; ubi conſidere per id temporis placuit , quo vires paullum reficerentur ab itinere , & in reditu validiores redderentur . Ruri ædiculam , papæ , quam bonam dominus adſtruxerat , cui hæc curavit lepide inſcribenda

AD . BONVM . OCIVM . FELICITER . CONTERENDVM
RECREANDVMQVE . AB . SVIS . AEGRITVDINIBVS . ANIMVM
INTER . FORTVNATAS . REPOSITI . NEMORIS . SOLITVDINES
RVRICVLAM . DOMVM
PAVPERCVLA . QVA . FACTA . EST . ELEGANTIA
HOMO . CVRAS . PERTAESVS
INSTRVXIT
VOS . O SOLIDAE . INTEGRAEQVE . VOLVPTATES
DVLCISSMA . AGRESTIS . VITAE . PRAEMIA
INTERVENTV . VESTRO
LOCI . INDOLEM . BEATE
VOSQVE . TRVCES . MOLESTIAE
HOC' . TACTAE . GENIO . AMABILI
MELLITAE . HIC . SVAVESQVE . EVADITE

Ad fores aderat induſtrius ſenex , fungino petaſatus pileo , & tunicatus bardocucullo , colore ſubfuſco , vultu non inſuavis , nec ita ad vitam ruſticam factus , ut moribus urbanis videretur exutus . Hic molli junco amara cichorea , & aliud neſcio quid agreſtium olerum in minutos faſciculos curioſa manu , componebat . Stabat ſeni proxima , excipiens illos , elegans puella , forma bona , anniſque florens ; quæ palla ad lumbos ſuccincta , plicatoque

toque supra neglectas comas linteolo, villicarum more, sollicitam se factiosamque praebebat; exceptos fasciculos, aqua e cado sumta, lepide tergendo, purgandoque diligenter terreis sordibus, ut ita emtores alliceret lubentius. Hisce postea oleribus commodule onerabat aselli vimineam floream, uno atque altero humero pendentem, quem per collum fune alligatum regebat gratiosus tenellusque puer, sed astutus ac malitiosus, quantum aetatula ferebat; qui, laboris ac morae impatiens, oculos suos fletu corrumpebat; &, mussitando, senem puellamque increpabat, ne ipsum diutius retardarent, sed sinerent, ut ipse abiret; erat fortasse

1 *Pransus non avide, quantum interpellet inani*
Ventre diem durare.

Pueri verbis ac lacrimis misericors facta quaedam anus, quae erat quidem visu digna: sedebat enim ab eo non procul, marcescentibus oculis, putrique naso, ac corrosis auribus, quassansque prae vetustate utroque caput, animam spissa acutaque tussi intermittens, & e lana colo implicata fila tardo tremuloque pollice trahebat: Et solvite, ajebat, ab omni mora dilectum hunc pupum, meum corculum, delicias meas; ac tentata manu puerilem intolerantiam placide leniebat. Posteaquam lepidum sane spectaculum plurima nos affecerat delectatione, rati non esse ulterius prae vestibulo ruris cunctandum; a sene precario petimus, ut nobis liceret ingredi, & paullum sedere. Ille, aperto capite, inquit urbanissime, Ite, redite liberius: manete, discedite, prout lubet: meo hoc conducto praediolo pro vestro ad satietatem utimini. Nos vincti beneficiis, grates habuimus maximas; & relaturas, siqua futura esset occasio, promisimus. Deinde introducti, oculis lustravimus, qui posset locus suo viridi frondium tegmine nos ab insurgente sole defendere. Deprehendimus interea loci fontem, sponte sua e vivis lapidibus, nulla arte compositis, limpido cursu effluen-

K 2 tem,

1 *Horat. Sat. VI lib. I.*

tem, platanisque ac aliis arboribus coronatum: quem hisce versibus ornatum voluit dominus:

Clangentes undas redimite suaviter umbræ;
Et ride in vivo margine gramen olens.
Algentes circum spirate beatius auræ,
Quo mea sint placido lumina capta situ.

Hic sedimus, & sudorem e fronte detersimus; ac, aperto pectore, auras recipimus, molliter spirantes, liberioremque spiritum æstuantes emisimus. Lælius non ipso naturali auræ flatu contentus, grandiorem excitabat, agitato hinc inde linteolo, quod pro tergendo sudore ad manus habebat. Interea, dum familiariter varia rerum dissertatione tempus fallere cœpimus, atque aliud, ut fit, ex alio serere; nescio qua sermonis trajectione mentio honorifice facta est de egregio MICHAELE ALTHANN, viro ex splendidissima gente orto, suis meritis in Purpuratorum Senatum cooptato; qui hujus Regni moderamen pro sua sapientia obtinuit, & pro sua nunc explet dignitate; immensaque lætitia conclamatum est: Felix, faustum fortunatumque sit Neapolitano Regno, quod tanto heroi Proregis munus in egregiorum operum illustre testimonium fuerit nuperrime unanimi plausu prorogatum. Ad hæc, Flaminius, dilectum Musis caput, Sinite, inquit, Amici, ut Carmen, quod in hoc argumentum, hisce diebus, meditabar, vobis memoriter, modo integre suppetat, recitem; ut nos pro hac nostra parte concepto gaudio obsequamur. Commodum, diximus, res evenit: quam dulcissima est occasio. Recita, quæso, recita quam citissime; nec morositate aliqua nos in longum protrahe. Novimus te a natura ingenio alacri ac prompto paratum, quale sibi merito vindicat Poesis. Nihil ultra cunctatus Flaminius, sic incepit

Solliciti si forte diu speravimus; ecce
Reddita spes voti compos. Jam pellimus omnes,
Quos, spe protracti, concepimus ante timores,
Ne MICHAEL nostra, ah mæror! discederet urbe,
Et, sedem antiquam, peteret Capitolia Romæ.

Non

Non ultra his agimur curis; factusque decoro
Jam desiderio locus est; summaque potiti
Fortuna, supra invidiam lætamur ovantes.
Gaudete, o quicumque bonum commune fovetis,
Et quibus est Patriæque salus & gloria cordi.
Nobiscum manet ILLE: iterum nunc urbis habenas
Suscipit, & gestit, gemino se munere fungi
Principis ac Patris: quam dulcia nomina! quorum
Jam sumus experti lapso mox tempore fructus;
Ac, tali allecti genio, persæpe precati
Nos Superos fuimus, tanta ne forte negarent
Longe posse frui. Precibus Deus annuit. Urbem
Lætitia & plausu, solito majore, replevit.
Ergo, quæ mea sunt quæ sunt communia nostræ
Munia fortunæ, juvat indulgere Camœnis,
Et juga Parnassi, felici consita lauro,
Visere, & umbrosos Pindi conscendere clivos;
Hic ubi perculsi insolito cantabimus œstro.
Quam dulcis se materies, quam gratior offert
In tanto rerum aspectu, quas sidera nobis
Largius effundunt! Premere alta silentia, curis
Nec relevare animos, stimulo prohibemur honesto.
Hac igitur læta adsitis quicumque corona,
Atque hilari risum festi prætenditis ore,
Ominibus faustis, poscunt id plectra, favete.
Parthenope, urbs alias inter quæ maxima frontem
Explicat, & rara naturæ dote superbit,
Deliciis nitidi pelagi, & telluris apricæ
Affluit: illud enim placide crateride ludit;
Et vitreo suscepta sinu felicitat ausa
Piscantum, & præda beat uberiore labores:
Altera bis gravidos alit impigra frugibus agros,
Assiduo semper ridens pulcherrima vere,
Et faciles pluvias, & Solem experta benignum.
Præterea, heroum mater, belloque domique
Vulgatem supra fortunatissima sortem
Erigitur; gaudensque sibi, miratur Alumnos
Seu regere imperio populos, seu marte secundo,

Sanguine nutritas metere inter prælia palmas.
Non aliis tamen a titulis felicior illa
Assurgit, quam quod subeuntem munera Regis
Te, MICHAEL, sortita sibi est. Nihil dulcius ipsi
Evenisse putat. Te te solatur in uno;
Te spectat, vultuque tuo capit integra sortis
Argumenta suæ. Per te concordia cives
Inter se pacata fovet: Themis alma triumphat,
Reddita jam prisco, depulsa fraude, nitori:
Non auro, non arbitrio servire potentum
Cogitur: ostendit nudatum fortiter ensem
In pœnam, scelerum ultricem; meritisque probandis
Æquatas hinc inde gerit firmissima lances.
Per te fœcundat tam pleno Copia cornu
Has cæli partes; Geniique & Gratia rident,
Sertis ornati roseis: pateraque rubentes
Fundit divitias, præcinctus utraque corymbis
Tempora, perpetuam referens Deus ore juventam:
Italiæ per te ditant commercia fines,
Agnoscuntque fidem, qualem secla aurea jactant.
Cum tamen elabi tempus præsenserat; & te
Divelli a nobis Regni fortuna timebat,
Cœptum ire in lacrimas: votis oneravimus astra,
Ne sinerent huic nos tristi succumbere legi.
Nam tua frena pati, tibi nos parere placebat;
Atque in deliciis fuerat, modo in urbe maneres,
Pro te nos vitamque ipsam ac bona cuncta pacisci:
Non etenim oblitii fuimus tua maxima gesta,
Gesta per ætates semper memoranda futuras,
Queis tibi se totus Populi devinxerat Ordo;
Extollitque tuum cæli ad sublimia nomen:
Atque inter dubios æstus sic quisque dolebat,
Ut pupus, tenere amplexus dulcissima matris
Brachia, balbutit roseo indistinctius ore;
Et ludens faciem palpat, risuque colorat
Candidulas utrasque genas, & basia figit:
Sed dum perbelle tali lactatur amore,
Direptamque sibi videt, exclusamque parentem,

Spectat

Spectat inops animi, ah pietas! sua lumina monstrat
Turgidula, & vultum tingit pallore loquaci;
Et gestu, & nutu, & lacrimis vocat undique matrem;
Accurritque gradu imbelli, atque abeuntis anhelans,
Spectantum eliciens fletus, vestigia calcat.
Hoc multos tacti cruciatu vivere menses,
Invisasque moras fuimus tolerare coacti.
Vota, preces renovabat amor; victumque querelis,
Ut nostro Cælum facile aspiraret amori;
Inque hos ante pias sensus prorupimus aras:
O qui res, rerum ipse Sator, regis, aspice quantis
Cingimur ærumnis! Cur das, & subtrahis uno
Tempore lætitiam? Cur nos modo seligis ALTHANN
Recturum, mox hunc adimis? Cur gaudia nobis
Largiris duranda parum? Concessa negasses,
Dona, negaturus concessis longius urbem
Posse frui donis. Melius caruisse placebat,
Quam semel accepto spoliari munere. Nostro
Audaci parcas dicto, Pater alme; paternum,
Quod geris ipse, movet supplex audacia pectus.
His summum precibus Numen contendimus una
Flectere. Et, oh! felix nostris allabitur oris
Nuncius. Hic cœtu quantis exceptus ab omni
Lætitiis! Fremuere viæ clamoribus: ecce
Jam rursus sedem hic firmat, jam maximus ALTHANN
Susceptum regimen triplices producit in annos.
Ac, veluti puppis, medio circum acta profundo,
Molibus undarum, ac tetris mugitibus euri,
Sævitiaque poli, mortemque minantibus umbris,
Heu misera! heu ploranda! sui jam nescia, certum
Exitium expectans, desperat mæsta salutem;
Nescio quo flatu interea compulsa secundo,
Aut tangit portum, aut propius tetigisse videtur:
In plausum assurgunt nautæ, portumque salutant,
Inter commixtum lacrimis solamen obortis:
En portus, clamant; iterantque, En portus; & omnes
Huc vocem unanimes, huc dextram, huc lumina vertunt:

Sic nos post varios capimus solatia casus.
Quodque placet magis, ac nobis tanta omina firmat,
Prorsus id est, quod dum venit hac ex parte levamen;
Tuque; Vir insignis, Regni componere molem
Incipis; aspirantque tibi feliciter astra:
Nescio qua fati serie, quove ordine rerum,
Postquam versavit Mars implacabilis ensem,
Atque omnem Europæ fœdavit sanguine campum;
Suspirata diu, lætis circum obsita palmis,
Pax redeat terris, litesque & jurgia pulset,
Discordesque animos inter se fœdere nectat.
Nunc magna est belli eventus meminisse voluptas;
Quæ tulimus, tam multa placent incommoda, quorum
Nunc tandem fructum legimus; veteresque querelas,
Jamdudum effusas, mercede expellimus ista.
Qualis agit sese rigidi sub frigore cæli
Ante focum degens cum dulci uxore colonus,
Dum circum crepitans ruit alta mapalia grando,
Atque arent herbæ e glacie, & sine frondibus arbor
Per campos late perculsa sibilat aura;
Tunc parco vilem parat ille legumine mensam,
Natorumque famem fabellis sæpe relatis
Fallere, sæpe dolo curat differre sagaci.
At placidi Veris redeuntibus inde diebus,
Et juvenem prati ætatem, solesque benignos,
Atque suis messem spondentem præmia votis,
Aspicit; aspectu felix lætatur amico;
Atque novo reparat fastidia pristina lucro.
His tantis perge auspiciis, perge, inclyte Princeps,
Ad summam laudum metam, quas candida morum,
Virtutumque tibi spondet speciosa supellex:
Grandia nec tecum meditari desine; qualem
Tete ostendisti, talem te ostendere cura.
Hic maneas, quanto potes ipse, diutius; in spem
Erige Parthenopen; terrorem sontibus auge;
Et bene, quos videas, de te, Patriaque merentes,
Ut jam cæpisti, consuetis affice donis;
Imple Orbem fama; communi vive saluti.

Acceptiſſimum fuit Flaminii Carmen, & noſtras tam blande irretivit aures, ut ſua quiſque noſtrum peculiari ac repetita laude non contineret; & vere hunc diximus Genialem Diem eſſe appellandum. Ille modeſtiam ſuam, ſubmiſſo vultu, temperabat; contendebatque officioſis verbis, id nos facere amoris abundantia.

Dum hæc agerentur, dies crevit altius; deſiitque Sol radiis ſuis manſueſcere. Nos jam refecti amœniſſima ſtatione, de diſceſſu cogitavimus: & e terra vario gramine veſtita erecti, Salve, diximus, Prædiolum, Phœbo Muſiſque carum: ſalvete vos, feſtivi Genii, hujus horti cultores, qui jacentes nos numine veſtro dulciſſime recreaſtis. His vocibus rus tandem relinquimus: &, actis iterum gratibus ſeni, qui, ut ſibi jejuno conſuleret, 1 *dapibus menſas onerabat inemtis;* certiorem eumdem facimus, ipſum nos humanitate ſua, ſua gratia ita obſtrinxiſſe, ut bene factum numquam memoria fuiſſet delapſurum. Porro rogamus, ut animum ſuum aperiat, &, ſiquid velit, nobis mandet. Senex, compoſito intra modeſtiam vultu, ſibi hoc unum velle, ait, ut eum amemus, ruſque ſuum incolamus ſæpius. Reſponſum dedimus, ut de hoc nullus dubitaret; & ſic te, diximus, & pauperculam familiam tuam Deus ſoſpitet. Vale. Iterumque nos lento gradu domum recepimus.

1 *Virg. Georg. IV.*

Præter Inscriptiones & Carmina huic nuperrime editioni adjecta, e re visum est, subsequentia Opuscula adnectere.

JOSEPHI AURELII
DE JANUARIO,

REGII CONSILIARII,

JURIS FEUDALIS
ANTECESSORIS,

DE JURE FEUDALI
ORATIO,

In Publico Neapolitano Lyceo

HABITA

VI. Idus Januarias Ann. CIↃIↃCCLIV.

CAROLO

NEAPOLITANAE
AC . SICVLAE . GENTIS
REGI . POTENTISSIMO
IN . LITTERARVM . PRAESIDIVM
SVPRA . AVITAM . GLORIAM
FELICITER . NATO
FAMA . RERVM . GESTARVM
IN . OMNIS . AEVI . ADMIRATIONEM
NVMQVAM . INTERITVRO
HANC . DE IVRE . FEVDALI
ORATIONEM
IPSO . ARGVMENTO . SPLENDIDAM
SCRIPTORIS . OPERA . TENVEM
NON . VT . RECEPTIS . BENEFICIIS
PAR . REDDAT
QVOD . PRORSVS . NEQVIT
SED . VT . BENEFICIORVM
MEMOR . SALTEM . VIDEATVR
QVOD . VNICE . POTEST
IOSEPHVS . AVRELIVS . DE . IANVARIO
D . D . D

DE JURE FEUDALI ORATIO.



Erum humanarum longa, & tot tantisque eventibus involuta series, quamquam eo semper conspirare visa fuerit, ut numquam societatis vinculum, quo surgunt, adolescunt, perficiuntur civitates, a forti nexu suo dissolveretur; veteribus tamen non raro extinctis, ac novis inductis moribus, pront aspera aut mitis locorum indoles, facilis aut severa animorum inclinatio, fervens aut remissus sapientiæ amor tulit; nationum studia, & regnorum fortunam, ad variam effingendam colendamque vivendi disciplinam revocavit. Assyrii, Medi, Persæ, Ægyptii, abstrusioribus mysteriis, Religionis metu obvallatis, inclarescere, & gentes suas his secretis artibus moderari curaverunt. Græci ab intimis Philosophiæ penetralibus, quorum e sinu, sub dulci etiam fabularum lenocinio, in vulgi pectus præcepta excurrebant, gloriæ patrimonium sibi quærere contenderunt. Romani, ad majora nati, ea triumphali æquitatis norma, qua non ad captivitatem subeundam cogebant, sed ad recuperandam humanitatem, devictas urbes molliebant; eaque animi magnitudine, qua solebant parcere subjectis, & debellare superbos, totius pene terrarum Orbis dominationem feliciter sunt assequuti. Sed uno quodam spiritu, atque una mentis contentione, etiam cum ad barbariem deflexit posterior ætas, amplificandi nominis cupido populos, quamvis rudes, & doctrinarum cultu aut nihil aut parum expolitos, in antiquitatis æmulationem, invasit. Decessit quidem nitor ille ac elegantia, qua suo decorata lumine effulsit Sapientia; sed non elanguit omnino: immo robustior potius sub duro cortice latuit, & majorem vim pallido quodam aspectu explicare visa est, ita sane, ut quod venustati de-

detraxit corruptus ad eruditionem palatus, addiderit solidæ doctrinæ inclinata ad severitatem industria. Quamobrem illud verum non est, inventionis laudem unice veteribus datam, posteris solam imitandi facultatem. Sua non defuit singulis tempestatibus, non sine plausu recepta, novarum rerum excogitatio: nec semper animos torquet ac dilaniat præteritorum temporum invidia; cum illos foveat quandoque extollatque recens repertarum utilitatum felix superbia. Itaque consepulta Orientalium potentia, in solitudinem versa Græcorum tellure, deleta Romani imperii majestate, & veluti mutata totius Mundi facie; novæ inventæ cogitandi imagines, novæ constitutæ vivendi regulæ; quas, ad externas repellendas injurias, ad internam fovendam pacem, in tutelam suam tot regna ac provinciæ susceperunt: iis præcipue seculis, cum populi, rusticitate morum potius, quam commercii & societatis jure cogniti, e patriis sedibus emersi, aliisque quærendis dominiis accensi, arma victricesque copias, per Italiam præsertim, hoc nempe amœnissimum voluptatis ac abundantiæ domicilium, circumtulerunt. Tunc Feuda instituta sunt, quasi opportuna captandæ benevolentiæ, auxiliique parandi instrumenta. Ex his nova in lucem prodiit Jurisprudentia, non hispida ac ferox; sed mitis ac decora, tantisque rationis æquitatisque adjumentis ornata, ut, quæ fuit apud Romanos hereditaria quædam & plena nobilitatis Facultas, licet novæ huic in doctrinarum caligine natæ Jurisprudentiæ avitos fasces non submittat; laudum tamen suarum participem admittere, nisi forte etiam adversariam pati, coacta sit. Quapropter non immerito conqueritur Jacobus Cujacius; eosque abnormis depravatique judicii accusat ac damnat, qui ceteras juris partes se tenere non sine fastu profitentur; hanc quasi barbaram, atque exotica veste præcinctam, non sine stomacho rejiciunt. Quod adeo ipsi visum est indignum, ut hoc e pudica fronte improbum dedecus elegantissimæ huic matronæ avertere studuerit; editis ea, qua pollebat, diligentia & acumine, in libros Feudales absolutissimis Commentariis. Egregiam hujus Scientiæ dignitatem, quocumque ævo imperaturam, in hoc ipso mei ex-

explendi muneris vestibulo, etsi non quantum res postulat, (postularet enim multum) quantum tamen meæ sinunt vires, nullis eximiis dotibus præditæ, nec leviter redundantibus clamosi Fori negotiis occupatæ, in hac florentissima clarissimorum Virorum corona, adumbrare potius, quam fuse recensere aggredior:

Interea ad te, CAROLE, Rex sapientissime, publicæ nostræ tranquillitatis custos ac moderator, bonarumque Artium vindex præsentissime ac tutor, priusquam ulterius procedat oratio, præstat me convertere; & gratias tibi agere quamplurimas pro demandata mihi Juris Feudalis docendi provincia; non merito quidem meo, quod sentio quam sit exiguum; sed singulari beneficentia tua, de qua licet multa prædicaverim, parcus semper, numquam nimius videbor: atque eas ago gratias, quas non verba explicent; sed quas animus concipiat. Certior quippe sum, verba desiderio paria mihi deesse, animum immenso obsequio non carere; &, uti ab humanitate tua sibi veniam expectat sermonis mei pauperies; ita ab indolis tuæ magnitudine, quod sinu foveo, grati animi pignus, tuam sibi pollicetur regiam comitatem. Unum tamen hic nequaquam prætéribo, me de hoc collato honore ea potissimum de causa gloriari, quod abs te, optimo Principe, veniat; cui supra ceteros, quos jactat antiquitas, quos nostra ætas recenset, felicitas, in Sapientiæ gremio reposita, cordi est. Satis enim superque perspectum habes, sine scientiarum præsidio, sine interioribus litteris, maxima Reipublicæ pernicie, ignorare populos, quid Principi, cui parent, quid Patriæ, in qua vivunt, quid debeant sibi ipsis, quos non ad privata commoda, sed ad communia fovenda officia, & suis igniculis natura, & institutis suis ratio societatis invitat. Sub tuo igitur faustissimo numine grandiorem animam induo; & sorti meæ tutissime spondeo, ut, qui humilis langueret in me spiritus, te duce & auspice, altius adsurgat, & sublimia, non vano tentamine, meditari ac suscipere conetur. Quod Deus bene vertat, Auditores ornatissimi, linguis atque animis favete.

De Juris Feudalis præstantia verba facturus, illud in

 pri-

primis, quod ad finem spectat, illustrem quidem ac generosum, unde Feuda (vox antiquitati incognita, & tantis Interpretum conjecturis dilaniata potius, quam explicata) in usum venerint, silentio non involvam. Irruentibus enim per alienos agros exteris nationibus, pacemque ac otium nostrarum præsertim regionum pervertentibus; vis atque audacia, operum administra, pectore conceptus dominandi furor, & omnis posita in armis acquirendi, seu potius occupandi ratio, eorum temporum sortem ac cursum, in maxima hominum perturbatione, miscebant. Principes, ut, quæ sine jure invaserant, non sine valido patrocinio custodirent, quæ sine pudore inhiabant, non sine facilitate assequerentur, quamque in alios nulla de caussa inferebant injuriam, a se ipsis caute averterent; ope, consilio, fide, ac constantia eorum, quos suis legibus submiserant, indigebant. Cœperunt proinde victoriæ ferociam mansuetudine emendare; usurpationis odium munificentia lenire; & tristem propriæ infelicitatis præconceptam a subditis opinionem utilibus institutis extinguere. Hisce argumentis, ea, quæ ex sua indole parum tuta est, firmabatur ambitio; quique injustæ direptionis compotes sequitur plerumque, amittendi timor, in spem convertebatur securæ possessionis. Collatis enim ab exercituum ductoribus, novarumque gentium dominis in veteres urbium habitatores beneficiis (quo nomine Feuda prius appellabantur) illos in expeditionibus itinerum comites, in obsidionibus, militarium laborum socios, in præliis, seu periculi seu victoriæ consortes sibi adjungebant. Donis invicem humana pectora obstringuntur: & hac mutua ac amabili necessitudine, neque fides sine animi turpitudine deseritur, neque obsequium sine improbitatis vitio relinquitur, neque servitium sine perduellionis nota recusatur. Providas hasce concordiæ inter dominos ac vassallos servandæ constitutiones, aut præteritarum ætatum politici ignorarunt, aut opportunis legibus, quæ ex usibus Feudalibus manant, obfirmare prætermiserunt. Posterioribus annis hæc ampla officiorum messis, & mystica quædam solenniter pacti fœderis institutio destinabatur, ut tutius Principes regnarent, alacriter subditi ser-

ſervirent, minus inſidiis, magis amori pateret locus, quodque imperio & auctoritate, parum ad conciliandos animos idoneis, difficilius poterat comparari, honorum pretio, tamquam ad firmandam fidem incitamento, facilius comparabatur.

Accessit, quod eſt hujuſmodi fœderis arctius vinculum, Jusjurandum, maximum inconſtantiæ ac perfidiæ frenum; ut, quæ inſita eſt homini, naturæ ſtimulis, erga benemerentes vehemens referendæ gratiæ cupiditas, Religionis ſacro quodam horrore, quo vel ipſummet indomitum ſcelus invito rubore ſuffunditur, vaſſallos, ſæpe in æſtuante affectuum tumultu nutantes, in firmiorem domini ſecuritatem adigeret, ac retineret. Hoc ferme pacto ſimul coeunt Pudor & Pietas: ille honeſtati obſequium non negat: hæc Deo reverentiam non ſubripit: & utroque hoc nexu coercetur tum inter homines inverecundia, quæ infamiæ pœnam ſubit, tum erga ſupremum Numen temeritas, quæ graviorem timet ac expectat vindictam. Quis igitur eſt, qui non videat, qui non profiteatur, quam ſapienter iſthæc omnia excogitata ſint, quam utiliter accepta, quam conſtanter in commune bonum retenta?

Præluſerat quidem neſcio quæ apud Romanos in Clientelis, quas Romulus inſtituerat; poſtea in Colonis glebæ adſcriptis; in Prædiis demum ab hoſte captis, militiæque ab Alexandro Severo, & Conſtantino Magno diſtributis, Feudorum imago: ſed leviter, & veluti e longinquo adumbrabatur Feudalis diſciplina, magnificentior in poſterum futura, & honorum copia, qua oblectamur, & titulorum ſplendore, quo innoteſcimus, & juriſdictionis exercitio, quo dominamur, & decora publicæ adminiſtrationis ſocietate, qua nobis aliiſque proſpicimus. Quibus præſidiis nuſquam alias cognita, nuſquam tanto lumine prædita, emerſit legum materies, quæ ſolidiorem meruerit, ſibique comparaverit exiſtimationem.

Porro, ut hac in re ſua conſtaret norma, ſuoque ordine Feudalis doctrina regeretur, multa ſagaciter & acute conſtituta ſunt. Feudorum diviſio eximiam Principum curam, interioremque quamdam prudentiam explicat præ-

 cipue

cipue ac commendat. Alia enim Feuda precario data; alia annua; alia intra vitæ curriculum seu dantis, seu recipientis, circumscripta; alia perpetua; alia nova; alia antiqua, &, uti dicunt, paterna; quædam nobilia; quædam rustica; nonnulla in re immobili, quæ propria sunt; nonnulla in præstationibus, quæ Feudalem naturam imitantur, constituta: Item, alia dividua, ut Longobardis placuit; alia individua, ut Francis visum fuit; tum quæ ex pacto & providentia, quæ hereditaria, quæque mixta appellantur. Singula suis non carent rationum momentis; leges habent peculiares, quibus gubernantur; atque ita diriguntur, ut, quamvis in se ipsis diversa, unum tamen corpus efficere, atque uno spiritu animari videantur. Hic enim varius Feudorum apparatus, remunerandi vicem graviter sustinet ac moderatur, pro varia personarum conditione, pro diverso temporum fato, pro servitiis aut leviter aut magnifice præstitis, aut tardius aut celerius exhibitis, aut minus aut magis prospere impletis. Habet quidem munificentia suos gradus; a quibus discedere, inconsulti animi vitium est; intra quos contineri, mentis bene compositæ laus est eximia: namque ea in conferendis præmiis commendatur industria, quæ concedentium exacta lance regat arbitrium, & meritum accipientium justa mercede compenset: ita sane, ut nihil detrimenti capiat aut Principis liberalitas intemperantia largitionis, aut subditorum fides beneficii tenuitate, aut Reipublicæ status ipsius munificentiæ abusu.

Nec sat erat, Feuda in hunc varium censum referre ac partiri: altiori opus erat consilio, ut in Successionibus nova constitueretur forma, quæ, quantum a communi jure distat, tantum ad splendidiorem æquitatem accedit: ea namque, quæ romanis legibus longe lateque spatiatur de re sua disponendi libertas; non in speciem miseræ servitutis, sed in saluberrimam utilitatis tutelam, Feudatariis inhibetur. Definita quippe est intra familiam successio, quæ sanguine conjunctos invitat, extraneos repellit; domesticum perpetuat decus; improvidam cohibet facilitatem, alienæ non favet aucupationi; validiorem plerumque sexum uni-

unice admittit; aliquando debiliorem non excludit; universe proximum gradum remotiori anteponit; non raro, inverso graduum ordine, genti servandæ diutius agnationis indulget, ac fœminis proximioribus masculos præfert remotiores. Hac paratissima via effectum est, ut beneficentiæ memoria, qua quisque ad obsequium excitatur ac impellitur, ab ipsis honorificentissimis consanguineorum laribus, nocuo invisoque discessu, egredi nequeat; quotidie, gratissimo ac triumphali aspectu, ante oculos obversetur; grandem pretiosamque nobilitatis dotem non comminuat; augeat, diuturni temporis privilegio, acceptam a majoribus, quam illi sudoribus compararunt, amplam splendidamque fortunam.

Verum enim vero longius excurreret sermo, & legitimos pudicæ orationis fines violaret; si cuncta, quæ ad huius scientiæ dignitatem ostendendam conferri possent, recenserem. Neminem quippe fugit (ut paucis multa colligam) quanta sit in prohibendis alienationibus, non sine domini incolumnitate ac vasallorum compendio, mira quædam cura ac singularis; quanta in præstandis assensibus, juxta necessitatem, benignitas, nec extra decorem repulsa; quanta in contractibus ineundis castitas ac religio; quanta in exercendis judiciis sine fuco gravitas, sine quavis pernicie indulgentia; quanta in purgandis criminibus non invisa severitas, non præceps consilium; quanta novarum legum cum antiquis innocens discordia, cum ratione admirabilis convenientia; quanta diversorum Ordinum conspiratio, privatis publicisque commodis eo magis opportuna, quo magis in ipsa varietate partes inter se dissimiles in unum colligit ac perfecte componit.

Hæc omnia, quæ Feudalis Juris regnum dilatarunt, sua in origine, non ex promulgatis Principum legibus manarunt; quæ, uti futuram prævident utilitatem, eamque sedulo sperant; non tamen semper, inopinato multarum causarum concursu, ut vellent, pro voto assequuntur: sed ex usu ac consuetudine, prono quidem alveo, nulloque impulsu, provenerunt. Usus autem ac consuetudo, veteris disciplinæ custodes, occultoque pollentes imperio,

rio, experientiam, diuturnis moribus probatam, & cujusvis obstaculi victricem, suaviter firmant, ac valide tuentur; receptamque utilitatis opinionem, quæ non falso nascitur, nec temere sustinetur, perenni successione in omne ævum producunt. Hinc non alia huic Juri apposita est epigraphe, quam CONSUETUDINES FEUDORUM: hasque non publica in medium tulit auctoritas, ut majorem observantiæ vim adderet; sed privata collegit industria, ut posteritati, veluti conscripta talium institutionum historia, consuleret. Nonnulli hac in re elaborarunt ante Cujacium. Is vero, Interpretum Princeps, qui quantum illustrandæ Jurisprudentiæ contulit ingenii, tantum in componendo in suas partes jure adhibuit diligentiæ, rem omnem Feudalem quinque libris conclusit: in tribus prioribus, quæ Gerardus Niger, ac Obertus de Orto conscripsere; in quarto, quæ a variis antiquis Auctoribus tradita sunt; in postremo, qui opus coronat, Imperatorum Constitutiones, quæ ad Feuda pertinent, lectissimo quodam fasciculo, nitidissime contexuit. Romanam imitati sunt Collectores umbratilem, ut ita dicam, ac domesticam diligentiam: privatim enim, post exactos Reges, in unum volumen contulit illorum jura Sex. Papyrius; ex formulis & legis actionibus, artificio veterum Jurisconsultorum conditis, eductisque e sacrario Pontificum, librum edidit Flavius Scriba: Imperatorum ab Adriano usque ad Valerianum, & Gallienum sanctiones, antea vagas atque confusas, in peculiarem Codicem Gregorius conjecit: hunc alter excepit, ab Hermogeniano exaratus, qui posteriorum Imperatorum usque ad Constantinum evulgatas leges complexus est. Id quoque servatum in græcis ac latinis Canonum Collectionibus, in quibus viri ecclesiastica doctrina egregii, ex suscepto per se ipsos instituto, in unum corpus Jus Sacrum redigere studuerunt. Major tamen, mea quidem sententia, rei Feudalis Collectores manet gloria: uti major ab ipsis adhibita diligentia, majus a nobis acceptum beneficium. Ceteri jus certum, jus cognitum, jus constans simul componere, curæ suæ dederunt: Nostri jus non scriptum, jus varium, jus pene obscurum; cujus, si hoc

si hoc ipsis defuisset nobile propositum, peritura in posterum memoria, vel ita tenebris misere obruta ad nos fuisset perventura, ut vanis prorsus hariolationibus, implicatisque mysteriis campus pateret latissimus, singulorum fluctuaret opinio; neque ea, quæ foret modesta, difficultates fugeret, neque audax careret patrocinio.

Sed non in hisce tantum, quos ab antiquitate accepimus, libris tota concluditur Feudalis Jurisprudentia. Europæ Principes, qui Feudorum instituta adoptarunt, usi ex ipso regnandi ingenio, atque ex iis, quæ quotidie suboriuntur, morum conversionibus, novus sese explicabat utilitatis aspectus; sæpe præstantiori dote auctis, sæpe in meliorem formam redactis antiquis legibus, hanc Facultatem suis constitutionibus ditarunt. Illius tamen confinia in hoc Neapolitano Regno, & sub varia nostrorum Regum, sive hic, sive alibi degentium, dominatione, supra gentes alias quam maxime amplificarunt tot Constitutiones, Gratiæ, Capitula, Privilegia, ac Pragmaticæ; quibus hæc Jurisprudentia, nescio cujus abditæ castigatæque Sapientiæ auxiliariis copiis communita, ad eum dignitatis apicem pervenit, ut nullibi magnificentius sibi paraverit domicilium, nullibi doctiores exceperit alumnos, nullibi diuturniorem Academiæ ac Foro conciliaverit nominis celebritatem. Qua de re merito lætamur; & amplissimo honori nostro tribuimus, magnis initiis ortam hanc Facultatem, majoribus additamentis, beatiori quodam fato nostro, per nos ipsos fuisse non sine summo studio excultam, nec sine ingenti gloria propagatam.

Postquam isthæc cursim delibavimus, illud addi locus flagitat, ut immensum, quod Juri Feudali cumulatum est decus ex tanta Scriptorum copia, qui in ejus interpretandis legibus operam navarunt egregiam, pro coronide sub oculos ponamus. Et sane nullum est in unaquaque scientia luculentius præstantiæ argumentum, quam impigra ac frequens ingeniorum contentio in ejus referendis arcanis, ut ratio eluceat; in componendis dissidiis, ut pateat concordia; in definiendis regulis, ut vitetur fallacia; in similibus comparandis, ut rerum inter se constet nexus; in de-

deducendis consequentibus ; ut marte suo liberum spatietur ingenium : quod sperandum non foret, nisi animos ipsius scientiæ non ingrata necessitas impelleret, cognita utilitas alliceret, unanimis consensus, quique ex hoc, efficax magnorum operum impulsor, plausus suboritur, abunde confirmaret. Novæ enim doctrinæ, quæ suo robore destituuntur, mentitaque facie imponunt, si primum fatuo quodam impulsu arripiantur, continuo deseruntur; veluti fugax, quod cælo sereno accenditur, æstivum lumen, simul ac repentino infirmoque splendore oculos deludit potius, quam excitat, statim præceps dilabitur, & cum nocturnis umbris, sua brevi luce orbatum, miscetur. Sed Jus Feudale, ubi apparuit, sine mora avide exceptum est, sine cessatione serio perpensum, atque egregie illustratum; neque unquam, tot revolventibus annis, in tanta rerum vicissitudine, sub tam dissimili Regnantium arbitrio, diminutam vidit doluitque suam dignitatem; immo a tot tantisque clarissimorum virorum eximiis monumentis, quæ hactenus edita sunt, quæque non indiligens nepotum cura in lucem proferet, immortalem sibi spondet vitam, & progressus exspectat ampliores.

Quod si Legum romanarum majestatem famamque metimur, ac extollimus ex hoc ipso, quod summi viri, penitiori doctrina imbuti, sive in XII Tabularum jure interpretando, sive in explicando Edicto perpetuo, sive in aliis subinde enatis legibus enodandis, mentis divitias ubertime effudere: quid est, quod ex hac parte suam non agnoscat egregiam ingentemque sortem, ac non innocue superbiat Feudalis Disciplina; quæ a bene auspicatis suorum natalium primordiis magnanimos tot doctissimorum Scriptorum conatus ad se, tanquam ad divitem novæ Jurisprudentiæ penum, revocavit? Invidemus profecto romanis fastis, suos jactare Coruncanios, Ælios, Atilios, Catones, Sulpicios, qui magnam sibi gloriam, florente adhuc Republica, adepti sunt; quosque insequens ætas sub imperii fastigio numerat quamplures, Scævolas, Papinianos, Paullos, Ulpianos. Sed hanc seu reparant omnino, seu saltem valde imminuunt per pectora nostra serpentem invidiam

vidiam insignes in hoc argumento Prudentes, qui varia quidem fortuna, sed eadem semper sedulitate, pari semper acumine, Jus Feudale tractarunt.

Dum enim inculta adhuc, sed non plano inanis ac contemnenda imperabat doctrina, magna Scriptorum turba huic operi manus non sine merita laude admovit; inter quos eminet in conficiendis Glossis accurata Jacobi Columbini diligentia, in compingendis Summis dilucida Jacobi Ardizonii brevitas; in exarandis Commentariis subtilitas & argumentorum copia Jacobi de Belvisio; in solidioribus firmandis Opinionibus auctoritas Baldi; qui postquam Jus Civile annos septem supra quadraginta fuerat professus, quasi ad sanctiora limina, ingravescente senio, accedens, Feudalibus controversiis enucleandis postremos dicavit labores, diuturno legalis doctrinæ usu, & subacto longævæ ætatis judicio, præstantiores. Felicissima postea tempestate, sublato barbariæ velo, politioribus litteris postliminio restitutis, accensa historiæ face, & communi plausu exceptis græcæ & latinæ linguæ deliciis, quando e squalido luridoque, quem prius induerat, augustiorem habitum, ac matronalem formam accepit Sapientia, Feudalis quoque Jurisprudentiæ fatum, non levi, qua involvebatur, fugata caligine, novam purioremque lucem explicavit, & decentiori vultu in medium prodiit. In Gallia enim, inclyta illa cultioris litteraturæ sede, ubi Jurisconsultorum familia singulare genti suæ in Jure romano ornamentum addidit, non dedignati sunt plurimi, qui magna fama inclarescunt, præsertim Cujacius, Duarenus, Hotomannus, Eguinarius Baro, nomina æternitati consecrata, rerum Feudalium cognitionem, ab antiquis sordibus manumissam, viriliter promovere, & latissime diffundere. In Germania etiam, eruditis laboribus assidue exercita ac penitus indurata, perenne Feudali Disciplinæ decus attulere Vultejus, Giphanius, Struvius, Thomasius, quique Legum studio Philosophiam egregie conjunxit, Christianus Volfius.

Apud nos, in hac pulcherrima totius Italiæ regione, sub utroque doctrinæ apparatu, sive intra barbariem involuto, sive elegantiis referto, complures Juris Feudalis periti,

riti, alii natalium splendore, alii Magistratus dignitate, alii munere hujusmet Juris in hoc Regio Gymnasio docendi, alii sublimi omnium harum dotium conjunctione, faustissimam annalium nostrorum memoriam cohonestantes; diuturnis vigiliis, summo conamine, & admirabili successu, hanc Disciplinam, exterorum cura sapienter pertractatam, luculentius explicare, uberiusque extendere, sategerunt. En Andreas de Isernia, hujus Jurisprudentiæ fax, interpres consummatissimus; utinam æque felix vitæ exitu, qualis fuerat in cursu: vixerat enim, uti cunctis dignus, ita cunctorum particeps honorum; scelesta tamen manu interfectus, supremæ necessitati miserrime paruit. En Paris de Puteo, Alfonsi Regis a consiliis, Ferdinandi ejus filii præceptor, multarum urbium, ad colligendas Sapientiæ opes, peregrinatione, tantisque editis operibus immortalitati dicatus. En Antonius de Alexandro, nostri Sac. Reg. Conf. Præses; Matthæus de Afflictis, benigniorem in juventa, quam senio expertus ludentis fortunæ aspectum; Scipio Capycius, non minus legali, quam poetica laurea comas præcinctus; quique gravissimas in hisce excolendis studiis curas locarunt, aliis neque ingenio neque sedulitate impares, Bartholomæus Camerarius, & Marinus Freccia. Quid de iis dicam, qui recentiori ævo floruerunt? Inter quos reticendi non sunt Josephus de Rosa, vivido mentis acumine, & firma arguendi contentione, eximius, Caietanus Ageta, multigena nostri Regni notionum supellectile præclarus; quique instar omnium est, Franciscus de Andreis. Is quidem litteras hoc patrio solo jamdiu consepultas, e tumulo, ubi lacrimabiles jacebant, in vitam revocavit; electamque in scribendo eruditionem, ac robustam in orando eloquentiam, antea exules, & avide in hoc dulcissimo Sirenum hospitio placidum æternumque optantes contubernium, bono omine excepit, pristinæque amplitudini restituit. In hunc quoque ordinem referendi, Petrus de Fusco, Seraphinus Biscardus, Nicolaus Caravita, Cajetanus Argentius, non multis ab hinc annis, communi desiderio abrepti; qui, in nostrorum Procerum Feudalibus causis tuendis, nihil, quod ad nitorem, nihil,

quod

quod ad robur, nihil, quod, ad nova excogitanda rationum momenta, & inveniri & conjungi posset, in abstrusioribus quibusque hujus Facultatis quæstionibus, prætermiserunt; ita profecto, ut illorum fama, laudum fœcunda, inter Curiæ subsellia, in cordatiorum hominum congressibus, per proximas remotasque gentes, magnifice resonet & pervagetur; tamdiu prospere duratura, quamdiu suus bonis Artibus honos, suum rei Feudali decus constabit.

Nunc fortasse superest, ut eos, qui hac ætate, ad confirmandam Civitatis nostræ magnitudinem, ad excitandam quarumcumque dominatricium Nationum admirationem, nobiscum una vivunt, inque supremis Tribunalibus, aut nobilissimo Advocationis instituto, aut togato judicandi Ministerio, facundiæ doctrinæque specimen quotidie exhibent (quorum partem potissimam in hisce augustissimis ædibus, summa humanitate adstantem, &, non sine redundante animi mei voluptate, dicta mea benigne excipientem, circumtueor) pro ipsorum merito commemorem ac extollam. Sed verecundiæ ratio, quæ laudes, in os conspectumque eorum proferendas, respuit; temporis excursus, qui longiorem, ut oporteret, non patitur moram; dicentis imbecillitas, quæ non ornaret, sed imminueret commendationem; cogunt me ab hoc proposito abstinere. Ceterum, in obsequium cedat ipsum, quo utor invitus, silentium; & saltem, quomodo hi forent laudandi, ipsa mea palam faciat, quam ingenue profiteor, debitæ contexendæ laudationis impotentia. Sed ut vela tandem Orationis meæ contraham, verbo concludam: Ex tot in humana societate institutis Facultatibus, hanc Feudalem, præ suæ dignitatis præstantia, nulli cedere; multis ob Reipublicæ utilitatem præesse; nusquam, nisi collapsis communis boni fundamentis, posse extingui.

Eja igitur, bonæ spei Adolescentes, hoc fortunatissimo seculo nati, sub hoc mitissimo cælo enutriti, virtuti propositis a tanto PRINCIPE, quo regimur, præmiis allecti, in hanc, quovis laudum cumulo majorem, suoque merito abunde dotatam, Juris Feudalis disciplinam, fervido assiduoque nisu, incumbite. Quanti ea sit habenda,

ex

ex ipsius argumenti majestate, ex tam grandi belli ac pacis præsidio, ex hac ipsa, ut antiquus mos obtinet, togati Viri ad hanc exornandam provinciam destinatione perpendite. Quantum ad me, ut ingenuus huic doctrinæ redeat honos, nec fucatus ac meretricius triumphet apparatus, pudori ducam, per futiles quasdam concertationes, aut involutas disputationum ambages excurrere; nudas & leporis inopes, notiones tradere; enerves languidasque Originum Feudalium conjecturas, a nugigerulis magno pretio venditas, consectari; superstitiosas putidasque novarum vocum, quæ e puro Latini sermonis fonte longe deflectunt, etymologias exponere; ne inter seria videar acute somniare; &, in speciem, lusus erudita deliria juventuti obtrudere. Præstat potius, non sine decore commentitias quasdam nescire opiniones, quam per summam temporis jacturam pœnitentiæ ac doloris sociam, inaniis onerari; & minus, communi sapientum calculo, nocet rerum ignorantia, quam confusa illarum cognitio. Juvabit tamen, retrusa hujus Facultatis penetralia adire, arcanam inquirere doctrinam, succo ac sanguine plenam comparare utilitatem. Siquid ingenio meo atque acumini deerit; vigilantiæ & assiduitati profecto deerit nihil. Hæ tantum in me sitæ sunt; nec culpa carebo, si has deseram. Illa non item. Quo fit, ut si laus absit, venia tamen non negetur. Vos interea efficite, ut respondeat curis ac votis meis diligentia vestra, & maximus ille, qui in vobis residet, conatus; cui illud unice difficile est, quod aggredi nolit; ardua quæque facilia, dummodo aggrediatur. Excitet Præceptoris animum, & vires augeat Auditorum alacritas. Mutuo fœdere utrimque labor nobilitetur: meus in docendo, futurus vestro profectu non inglorius; vester in addiscendo, pro mea expectatione a cunctis civium Ordinibus commendandus: atque ea vos splendida honoris flamma accensos volo, quæ tales ac tantos, non vulgi opinione, qua vel falsa virtus extollitur, sed sapientum judicio, quo constans meritum probatur, vos in hac ornatissima Civitate reddat; ut quæ sitam a Majoribus vestris in hac Scientia famam vos superasse, nemo non videat; vestram, continenti studiorum cursu quærendam, aut vincere, aut saltem æquare, posteri desperent.

JOSEPHI AURELII
DE JANUARIO,

NEAPOLIS ET SICILIAE REGE

A CONSILIIS,

EPISTOLA,

Collectioni Diſſertationum & Opuſculorum

JURISPRUDENTIÆ,

QUAM

LITTERARIA SOCIETAS

Bernæ apud Helvetios meditatur,

PRÆFIGENDA.

CLARISSIMO VIRO

FELLENBERGIO,

BERNENSIS ACADEMIÆ SOCIO,

JOSEPHUS AURELIUS

DE JANUARIO,

NEAPOLIS ET SICILIÆ REGI

A Consiliis.



Uæ mihi tuo, tuæque doctissimæ Societatis nomine, litteræ perlatæ sunt, eo jucundiores evasere, quo minus expectatæ. Nata ex improviso voluptas major videtur, quam quæ sperata obvenit. Scatent hæ litteræ laudibus in me uberrime collatis; quæ humanitate tua dignæ sunt, merito meo longe majores. Ago igitur grates: reddam, ubi ferat occasio. Tuum est, præcipere; meum, mandatis tuis obtemperare: alterum anxie desidero: alterum vero lubentissime persequar. Satis hoc ad officia, in quibus animi fidem brevis sermo aperit, fucum olet prolixus. Venio ad susceptum a vobis institutum, de quo me certiorem facitis, & quid de eo sentiam, postulatis. En tibi, uti jubes, morem gero. Vos colligendis egregiorum Scriptorum Opusculis ac Dissertationibus, quæ bonis Artibus favent, vacatis. Laudo propositum, quod a nemine non laudabitur; & gloriam, quæ in vos recidet, non a meo, quod tenue est, sed a communi Sapientum judicio, quod invidiam superat, comparabitis. Probe teneo, isthæc Opuscula sinistro plerumque fato vexari;

parva

parva mole ex se ipsis non sustinentur; quamvis doctrina & elegantia niteant, & exile corpus pulcritudine sua commendent. Vagantur sine duce, qui præstet auxilium; tuto carent hospitio, ubi suo consulant periculo: &, nisi aliorum industria accedat, lividæ oblivioni facile immolantur: non secus ac puelluli sub dio infeliciter expositi, quibus vita deficit, nisi præsto viatorum pietas sit, quæ innocuam ætatem ab interitu vindicet, eosque sub publica tutela alendos tradat. Summi igitur beneficii loco habendum, quod hujusmodi non illepidi nec insuaves libelli, qui longa nocte pressi jacerent, in amicam lucem prodeant; & vires, quas ad reparandam eorum jacturam satis firmas non habent, ab ipsorum Collectione, quasi invicem communicato nexu, validiores consequantur. Sed, ut paullo fusius meam super hoc argumento sententiam aperiam, sinas, ut de Sapientiæ origine, progressu, atque eo, quo nunc floret, statu, per summa capita nonnihil edisseram; ut inde singuli colligant, quanto facilior veteribus patuerit, quanto nobis difficilior ad Sapientiam ipsam via sternatur; quibus adjumentis illos carere, nihil nocuit; nos vero privari, plurimum officit; præsertim hisce Collectionibus, quas nedum utilitas, quovis quærenda precio, commendat, sed necessitas, omni superanda conatu, expostulat.

I

Mens homini data est, eique, quasi splendida fax, comes ac dux ratio adsistit, ut non ea tantum, quæ sub rudem adspectum prima fronte cadunt, vitæque necessitatibus, pari cum brutis conditione, inserviunt, sed quæ altius adsurgunt, animumque supra se ipsum elevant, singuli cognoscant. Hinc ille semper impiger, numquam satur Sapientiæ amor, qui nobiscum oritur, paullatim adolescit, atque eo progreditur, quo pro sua quisque facultate pervenire contendit. Hæc tamen Sapientia non statim sese mortalibus aperuit; naturam imitata, quæ viventium corpora non ea lege efformat, ut inte-

ut integras extemplo vires accipiant, sed abs tempore per gradus expectent. Quare pueritiæ, ut ita dicam, imbecillitatem passa est Sapientia; juventæ robur inde acquisivit; virilis ætatis firmitatem in cursu est adepta: ad senectutem tamen non adhuc pervenit, quam ejus vivida semper fœcunditas reparat; nec mortem timet, quam nescio quæ divinitatis pars, ei tributa, prorsus excludit. Quidquid igitur in abdito naturæ sinu occultum latet; quidquid in vasto humanorum affectuum regno in vitium pergit, aut ad virtutem accedit; quidquid in administranda Republica ex prudentia oritur, non primitus ac repente ante oculos, plena distinctaque imagine positum est ac referatum: privatæ ac diuturnæ cogitationes, agitatæ inter acutos viros controversiæ, firmatæ ab experientia cognitiones, magis magisque in dies propagatus commerciorum usus, suscepta inter diversas nationes eorumdem studiorum cognatio, aperta tradendis disciplinis gymnasia alere, tutari, ac augere Sapientiam cœperunt.

II

In hunc modum Sapientiæ successio, lente progrediens, supremi rerum Artificis consilio non caruit. Poterat hic solo nutu, qui omnia, quæ vult, statim perficit, uti pleraque alia veloci imperio perfecit, hominem absolutissimâ Sapientiâ, sine mora, sine ipsius hominis cura ac fastidio, magnifice dotare. Noluit tamen: &, si liceat conjectare, ita statuit, ut assiduo conatu mortales Sapientiam, ceu proprii sudoris mercedem, præmiumque diligentiæ, sibi compararent; ne in somniculosa quiete, ac pigra voluptate vitam, fœnori datam, inertes traducerent. Idque non brevi, quod superbiam ingerit; sed longo studio, quo suam quisque imbecillitatem cognosceret, per sua, & quidem salebrosa, intervalla acquireret.

III

Curiositas, quæ ab ærumnosa inscitia nascitur, &

 inde

inde feliciſſima mater ſit Sapientiæ, pectoribus mortalium inſita, mentem acuit ad ea inquirenda, quæ non modo ſenſu, ſed ratione percipiuntur. Senſus oculos habet ſæpe mendaces rerum teſtes, eoſdemque ſæpiſſime indoctos judices, & non raro incautos veritatis proditores: quamobrem ille & ſine ſua culpa fallitur, & ſine dolo malo alios fallit. Ratio ad interiora pergit, atque ea explorat, invenit, decernit, quæ primum fugiunt obtutum, errorem expellunt, veritatem confirmant. Rudia ſane, ut infirma rerum omnium conditio eſt, fuere ſuboleſcentis rationis principia: quo factum eſt, ut parum a mendaciis veritas diſtaret; & neſcio quam cum veriſimili cognationem falſitas contraheret. Ea, inter Mundi exordia, viſa tutior cognitio, quam firmabat experientia; tacite docens, quod non adhuc perſpicue ex intimis cauſis explicari, inculta tempora ſinebant: prima objectorum facies animum faſcinabat; incertiſque opinionibus malignam conciliabant auctoritatem præjudicia. Deficiebat meditandi ordo, cujus ope, quod dubium eſt, ſolvitur facillime; quod certum, tuto quis amplectitur; ex cognitis incognita illuſtrantur; ex ſimplicibus compoſita efficiuntur. Conjecturarum libertas, modeſtiæ & docilitatis parum amica, furebat potius, quam legitime regnabat. Quiſque, ſine adverſario, ſuarum fiebat cogitationum arbiter; alienas ſine examine repellebat, ſuas ſine diſcrimine adoptabat. Non adhuc Artes ingenuæ Facultatibus apta vocabula invenerant: non aperta diſcentibus gymnaſia monitis ac præceptis reſonabant: clauſa inter externas nationes litteris ſocietas, mutuam in ſcientiis prohibebat utilitatem.

IV

Ægyptii, imperfecto, quo poterant, conanime, Sapientiam excolere aggreſſi ſunt; commendatione digni, quia incœperant; non imitatione, quia nugis illam corruperunt, & ſpurio honore donarunt. Potiſſima eorum cura in perſcrutandis aſtrorum curſu ac facie, ut incognito timore in adverſis, mendaci lætitia in ſecundis veſtirent

præ-

præſagia ; in fingendis itidem fabulis prodigi , ut gentis ſtupiditatem inanis allicer.t admiratio : demum in augendo Deorum numero ad inſaniam ſtudioſi , ut ſuperbum dilataret imperium moleſta ſuperſtitio ; & infœcundi ſtipites, mutaque ſaxa, Divinitati conſecrata , in ignominiam converterunt ritus & altaria . Hæc doctrina , incaute a Majoribus accepta , nonniſi memoria & colloquiis , ut animo inſideret, ſervabatur; anguſtos ob cogitandi paupertatem jactabat fines ; pauciſque circumdabatur notionibus ; quæ ſine longa diſputatione addiſcebantur , & errorum plenæ , ſine delectu , popularem nutriebant crudelitatem . Quamobrem in hiſce ſtudiis exercitatio plerumque inutilis, aliquando nocua , paucorum mentes occupabat ; qui, in tutamen acquiſitæ ſuper alios poteſtatis , vulgo potius imponere , quam veritatem docere curabant : reliqui , & ſane innumeri, falſis parebant rumoribus ; & dogmata caligine circumvallata ſequi potius , quam perpendere adnitebantur.

V

Apud Hebræos ſana equidem doctrina , quia non ab ipſis inſtituta, ſed a Deo ſingulari beneficio tradita. Commenta ab effreni aliorum populorum libidine excogitata, quæ profanum Sapientiæ regnum coinquinarunt , procul abfuere. Omnia in ſacro Codice graviter expoſita : nihil ibi inconſtans, nihil infidum, nihil humanitati contrarium, nihil Divinitati injurium . Ex hoc fonte manat publicæ diſciplinæ norma, fida concordiæ regula, ſolidum amicitiæ pignus, ſalutaris erga Deum timor, & quidquid ad regendam vitam , pro comparanda æterna felicitate, magis expediat . Sed diu hæc doctrina , tamquam divinæ veritatis depoſitum, ac futurorum eventuum æternum ac immutabile teſtamentum, religioſe cuſtodita, Nationi cælo dilectæ tantummodo patuit; in alienigenas , a quorum commercio & ſocietate abſtinuerunt Hebræi , haud plene ac facile commigravit; donec, impletis divinis oraculis , ac firmato Chriſti Regno, ingens apud poſteros atque illuſtre argu-

 men-

mentum evasit ad exercenda clarissimorum virorum ingenia, in pietatis obsequium conversa, & in solidæ eruditionis ornamentum inflammata. Hebræorum tamen Republica manente, non apud omnes hæc doctrina spatiabatur: eorum pars major pecori regendo, colendis agris, militiæque artibus vacabat: non ingenii ostentatione ac fastu tumida videri, sed fervido opere modestoque vivendi cultu utilis fieri studebat. Solis data est Sacerdotibus sacrarum Scripturarum interpretatio; qui non disputando garruli, sed præcipiendo graves, rudem populum monebant, hortabantur, & in spem promissæ magnitudinis ac felicitatis erigebant. Rabbinis vero quædam hariolandi insedit lubido, inaniis gravida, quæ non ipsis speratam gloriam, sed risum plerumque peperit & contemptum.

VI

Itaque, dum vetustam Sapientiam contemplamur, exceptis paucis Africæ Asiæque locis, in quibus illa, alibi falsa, aut saltem imperfecta; alibi vera, sed secreto in angulo posita; ubique tamen nimium non aucta, sed definito quodam limite circumscripta excipiebatur; ab aliis vero, & sane innumeris Mundi regionibus longe errabat; & prorsus incognita, nedum obsequio carebat, sed ne sui quidem desiderium excitabat. Sapientes hisce in gentibus ii erant, qui minus feroces. Educatio imminuebat vel augebat morum asperitatem: & in tanta rerum caligine virtus honore suo carebat, vitium voluptati inserviens, odio non afficiebatur; bonum plerumque casu potius, quam consilio emergebat; plerumque etiam malum non tam firmo proposito, quam fatua consuetudine sese insinuabat.

VII

Ad Græcos deinde Sapientia pervenit; & apud hanc gentem, veluti solennibus nundinis exposita, singulis, quam vellent, preciosam mercem exhibebat: &, ut, præter receptos aliorum populorum mores, luce publica frueretur,

retur, non domestico silentio contenta, non solitariis meditationibus adstricta, sub umbra latitabat; sed in medium vivida ac operosa se proferens, facilem aliorum congressum invitabat, amica etiam excitabat dissidia, pugnabat acriter, ut cum gloria vinceret, aut cederet sine ignominia; novisque adjumentis circum undique prædita, suæ augendæ dignitati curas omnes quam maxime adhibebat. Porticus ad disputandum instruxit; Forum ad persuadendum armavit; Theatrum ad componendos mores exposuit: acumen in disputationibus, pro veritate ex rerum visceribus eruenda, excitavit; in suasionibus, vim eloquii pro sanioribus capiendis consiliis explicuit: in moribus componendis honestatem, virtutum omnium ducem, decoris effinxit coloribus; deterrimis vero turpitudinem, ingenuæ naturæ inimicam; delectationem, quæ sola nocet, cum utilitate, quæ illi conjuncta magis arridet, dulci nexu commiscuit: & in fabulis etiam, quibus inveniendis ac ornandis festivum Nationis ingenium ferax fuit, non vulgarem nec ociosam interno sinu condidit doctrinam. Demum peregrinationes, non inani curiositate, sed fervido discendi studio a Græcis frequenter susceptæ, vastum ingeniis ad grandia quæque natis lumen attulere: comparatione enim & examine diversarum consuetudinum, quibus populi eorum ex indole gubernabantur, id quod melius, æquius, præstantius, utilius, incomparabili optione in suos usus feliciter convertebant: ita sane, ut nec superbiæ accusari Græcia umquam deberet in damnandis rejiciendisque alienis, nec duræ rusticitatis coargui in propriis non tradendis & communicandis institutis. Sed hujusmodi Græcorum in bonis Artibus exercitatio non ea infelici sorte premebatur, quam rerum vastitas, raro confusionis expers, ingerit: tota fere in hominum officiis sese continebat; & huic etiam proposito ipsamet referebatur Poesis, nobilis, nimiumque ab hoc populo in deliciis habita occupatio, delectando æque ac docendo sedulo intenta. Non ingentia scriptorum, qui, æternitate nominis digni, præcesserant, volumina, difficilem in Sapientiæ palestra operam reddebant: non omnes futili pruritu abrepti, nullisque naturæ &

 artis

ártis præsidiis muniti, ad prostituendam potius, quam ad exornandam Sapientiam se convertebant; sed ii tantum, qui suarum virium compotes, sub egregiis magistriis enutriti, longinqui ac pene improbi laboris patientes, grande suorum studiorum specimen exhibebant.

VIII

Tardius Romanorum pectora Scientiarum amor invasit: tarditati vero pretium addidit magnitudo; & expectationem felix ac insignis exitus superavit. Adhuc ambigitur, armis ne potius, an litteris eorum gloria creverit ac majestas. Dominandi insatiabilis cupido, quæ hujus populi cura fuit nimis fervida, bonis Artibus detrimento non fuit; imo meritum auxit, & bellicæ Virtutis cum Sapientia nobilis cognatio apud omnes gentes Romanum nomen perenni memoriæ consecravit. Illud singulare & præcipuum de Romana gente prædicandum, summam in ea fuisse studiorum gravitatem, summum decus; nihil asperum, quod posset exprobari; nihil incultum, quod sperni posset: omnia ad utilitatem, quæ commoda promovet: ad facilitatem omnia, quæ invitos etiam excitat atque impellit. Præterea in discendo, licet assiduus, numquam ingratus labor evadebat: ea discebantur, quæ nosci libero homine digna erant; prætermittebantur, quæ tempus pudendâ jacturâ fallebant. Delectus rerum, non copia animum ad se revocabat. Melioris notæ Scriptores tum Græci, tum Latini ante oculos versabantur. Physicæ Facultates per otium non negligebantur omnino; sed quia incertæ, severioribus studiis non præferebantur. Hujusmodi Sapientia in agris amœna rusticabatur; generosa in bello pugnabat; in rostris exæstuans animos accendebat; domi sagax privatis consulebat negociis; foris vigilans publicas reparabat necessitates. Ceterum Quirites si cum aliis Nationibus conferantur, pares in reliquis Scientiis multos enumerant, aliquibus etiam fortasse majoribus invident; parem vero majoremve in Jurisprudentia neminem habent: quam Artem, regendis populis tam necessariam, ac civili fo-

fovendæ concordiæ tam opportunam, ad summum dignitatis culmen splendide eduxerunt. Quo factum est, ut, regulis bene constitutis, varium pro rerum circumstantiis, sed semper placidum suavemque exhiberet vultum Æquitas; immotamque voluntatem, nullo metu perculsam, aut imbelli misericordia fractam, perpetuo servaret Justitia. Profecto isthæc Natio, quasi generis humani magistra, militari studio summum acumen, incomparabilemque temperantiam, ad excitanda humanitatis officia, feliciter adjunxit: nec opinandi libidine, aut imperandi superbia (quæ sunt vitia triumphatoris exercitus) sed singulari modestia, ac subacto judicio (quæ paternæ auctoritatis imagines sunt jucundissimæ) jura condidit ac vulgavit: ita sane, ut meliora devictarum gentium instituta, siqua reperiebat, prorsus non despexerit; sed, quasi supellectilem, auro ac gemmis cariorem, ab ignotis antea regionibus advectam, in proprios mores convertere haud fuerit dedignata: & hac animi facilitate, non tam debellatis hostibus exosa servitus præscribi, quam amabilis induci societas visa; totusque terrarum Orbis in unam coalescere civitatem cœpit; cujus habitatores sola locorum distantia distinguebat, conjungebat autem eadem Legum suavis potestas, idemque obtemperandi amor & docilitas. Romana igitur Jurisprudentia non unius ætatis depositum, non unius populi studium, non unius doctrinæ ornamentum evasit; sed cujusvis ævi inconstantiam fortiter vicit, universarum gentium pectus acriter inflammavit, & quidquid in Scientiis omnibus grande ac nobile emicuit, in propriæ disciplinæ præsidium & decus sapienti delectu adscivit. Hujusmodi Facultas, egregiæ eruditionis mater, solidæque Philosophiæ nutrix, ad sui cultum tot tantosque evocavit Interpretes, ut horum familia in publicis privatisque rebus summam adepta sit auctoritatem, & ingenii gloriam comparaverit pene infinitam.

IX

Post extinctam Romani Græcique Imperii majestatem; post divisum, seu potius laceratum inter barbaras

gentes tot Regnorum ac Provinciarum dominium, post confusas demum, & impudico connubio sociatas incultorum populorum linguas, immutata statim facies Sapientiæ. Anteactis sæculis non interrupto itinere per gradus illa processerat; tenuemque, quam prius acceperat, dotem cum dignitate in dies coli, ingentique cum usura paullatim augeri, experiebatur: ætatis progressu ditior semper reddita, numquam deterior. Ubi vero in hæc tenebricosa ac lugenda tempora incidit, non alia ex culpa, quam quod nimia sua luce debiles oculos perstringeret, exilio misere damnata est; & præpotens, uti fuerat, ingeniorum regina, squalidæ frontis vidua apparuit; locumque triumphanti præ sua tyrannide præbuit inscitiæ. Hæc luctuosæ indolis labes, tandem suæ turpitudinis conscia, & quasi longo e veterno excitata, ut dedecus, quo vitiabatur, emendaret, novum ac informem præpostero consilio ementitæ Sapientiæ adspectum induxit. Immerita futilibus rebus collata dignitas; posita in opinionum portentis, verborumque monstris tota scientiarum magnificentia ac splendor; fuco ac fallacia, tamquam natis ex acumine illecebris, insipidus sermo ornabatur; & veritas eo placebat minus, quo magis infœcundis argumentationibus plena dominabatur periculosæ novitatis lubido; laudatore carebat decora facilitas; solenni præconis voce extollebatur tricis onerata subtilitas. Sed, quia tanto premi infortunio hominum mens non debebat, & inter sordes diutius jacere Sapientiam, par non erat; supremo adjuvante Numine, in pristinam fortunam, temporis spatio haud quidem exiguo, sese ipsa convertit.

X

Decimo tertio circiter ab auspicatissimis Redemtoris nostri natalibus sæculo, & felicius inde decimo quinto iterum elegantiam & leporem ad se litteræ, quasi postliminio donatæ, revocarunt; & cultioribus studiis spiritus rediit ac vita. Principum favor, grande ad virtutem & efficax incitamentum, coronatumque plausu ac præmiis meritum, exantlatis laboribus acquisitum, ad propulsandam bar-

barbariem, fovendasque bonas Artes viam aperuere; & per hæc tempora Italo prius cælo, aliisque deinde regionibus, priscam redonarunt dignitatem. Tanta sors nobis multo cum fœnore obvenit; & Majorum hereditas, in ornatissimis Scientiis fundata (quam per invidiam caliginosi dies eripuerant) commodo posteritatis in integrum restituta est, non avitis tantum opibus onusta, sed novarum accessionum ferax & innocue superba. Hac supellectili imperii sui confinia, qua Sol habitabilis Mundi plagas illustrat, longe lateque dilatavit litterarum Principatus.

XI

Statim igitur a ridiculis pudendisque spectaculis in majestatem suam conversa est scena; in evolvendis veterum libris, situ antea & pulvere obsitis, exarsit animus; in scribendo summa adhibita est diligentia; nihil sine utilitate tractatum; omnia ad doctæ antiquitatis imitationem digesta: dicendi garrulitas, quæ odium parit, prorsus exclusa: concinna verborum contractio, quæ ad perspicuitatem collineat, recepta. Sed duplicatus est labor: veterum enim monumenta derelinquere, piaculum erat; priscis nova non addere, misera paupertas: hinc fervebat erga antiquitatem veneratio; illinc gloriæ stimulus pro desiderato Scientiarum incremento acriter urgebat. Ex aridis cineribus ad nobilem vitam renatæ sunt cultissimæ linguæ, Hebræa sanctimoniam spirans, Græca lepore & copia affluens, & plena majestatis Latina: quarum cognitio licet jucunda; vasta tamen ac difficilis in adeundis ipsarum penetralibus, & etymologiis probe eruendis evasit. Novæ subinde & multiplices exortæ, non quidem indoctæ, sed quas quotidianus usus ac impigra diligentia ad miraculum expolivit. Itali suam merito jactant ad omnia sublimia æque ac humilia flexilem: Galli suam, dulcedinis amœnitatisque divitem, & præ ceteris docendo idoneam: de sua etiam Germani & Britanni gloriantur, quæ quamdam duritiem multa sententiarum gravitate compensat. Quisquis igitur solas hasce linguas (ut alias omittam, potius commercio uti-

utiles, quam litterarum cultui necessarias) plena velit peritia tenere, vitam, utut longissimam, huic operi brevissimam fatebitur. Quid de Scientiis dicam, quibus nova rerum excogitatarum copia ad augendam Sapientiæ ditionem accessit? Sane non iniqua prædicanda est natura, nimis in veteres prodiga, nimis in nos avara; non integram illis gloriam addixit, partem quoque non exiguam nobis, ne noverca videretur, servavit. Per omne tempus opes suas humanum effudit ingenium. Plurima excogitavit antiquitas: plurima, quæ excogitando posteritas invenit, numquam defuere. Non hic de Eloquentia ac Poesi loquor: hæ, quo magis a sua origine abscedunt, distant magis a sua dignitate: perfectæ nobis traditæ; & quidquid additur, ineptum; injuriosum est quidquid detrahitur; earumque pudicitiam, uti omnis novatio violat, ita fida imitatio servat ac tuetur. De reliquis Disciplinis secus res sese habet: temporis excursus nihil primævæ magnitudinis ipsis ademit, multum tamen superaddidit recens ætas.

XII

Mathesis, Physicæ ac Medicæ Facultates, novis investigationibus, novisque experimentis, quasi ab angustis obscurisque carceribus in lucem ac libertatem eductæ, per apertissimos campos excurrere visæ sunt. Senescit profecto Mundus; sed, contra senectutis indolem, novas potius vires acquirit, quam veteres amittit. Nonnulla prius ignota casus aut industria postea detexit: quod difficile & insuperabile Majores crediderunt, Nepotum cura facile ac proclive reddidit. Ars quodammodo naturam vicit; & opem, quam hæc negabat, illa ex ingenio suo paravit. Verum, ut de iis Scientiis, quæ sub obscuritate ac incertitudine minime nutant, sermo instituatur; venio ad Historiam tam Civilem, quam Sacram. Civilis, procedentibus annis, ob rerum gestarum seriem perpetuo recurrentem, in immensum crevit. Novæ exemplorum imagines, novæ regnandi artes, variæ sceleri apertæ viæ, variæ virtutibus paratæ occasiones, Morum ac Politicæ doctrinam

supra

supra receptas olim antiquorum institutiones magnopere ditarunt. Sacra vero, quæ ante Christi legem, non nimis lato circumscripta ambitu, angustiora complectebatur monumenta; dilatatis postmodum finibus, & sparsa per universum terrarum Orbem veræ Fidei luce, infinitis pene egregiisque factis sæcula nobilitavit: & utraque pro servandis Imperii ac Sacerdotii juribus ita invicem amico fœdere colligatur; ut alteram sine altera lustrare ac perpendere, parum doctrinæ temporum, & diversarum Potestatum concordiæ conferat.

XIII

Porro Romanorum Jurisprudentia, aut a barbaris non cognita, aut præ rustico eorum palatu contemta, pristinum accepit nitorem; quodque pene amiserat regnum, majori gloria recuperavit; &, nedum veteri non caruit obsequio, sed novo abunde est cumulata. Opes suas, in splendida eruditione repositas, a nobili Interpretum conatu cunctis reserari vidit: & ipsa in Forum introducta, nec semper (ut temere quidam effutiunt) loci malitia indigne profanata, aut inscitia Advocatorum misere corrupta, quotidianis controversiis ingens lumen attulit; recteque ferendis sententiis tutam normam constituit. Leges non omnia complectuntur; extenduntur tamen ad omnia vi argumentorum, quam Fori tritura excitat, digerit, & ad veritatem eruendam instruit. Sine hac bellatrici, ut ita dicam, exercitatione, jura splendore quidem suo niterent, usu languescerent, plus admirationis, parum utilitatis afferrent. Civili Jurisprudentiæ ea addita est, quæ Canonica dicitur. Illa sæculi Principes pro Reipublicæ tranquillitate; isthæc Ecclesiæ Præsules pro animarum regimine auctores habet: prior inventione nobilis; æque nobilis imitatione posterior; nobilior tamen reapse, quæ altius supra fugacis temporis sortem adsurgit. Utraque magnum jactat latifundium; & titulos numerat, re plerumque diversos, ordine tamen ac inscriptione fere similes & conformes. Theologia, quæ apud priscos Idolorum asseclas, somnia & fabu-

fabulas in opprobrium Divinitatis ornabat ; in ſacroſancta noſtra Religione æternæ veritatis receſſus aperuit . Hæc quidquid in reconditis omnipotentis conſilii myſteriis arduum ac difficile celatur, quidquid imbelles naturæ conatus prætergreditur, quidquid ſupra rationis ambitum extollitur, ſummo obſequio exponit , ſano acumine diſcutit , ſolida eruditione confirmat .

XIV

Ars Critica , quæ non antea veterum monumentis defuit, ſed modeſta latuit , & verecunde jus ſuum exercuit; recentiori ætate plus juſto , & præter neceſſitatem nimis ſollicita , armis non tam ad fatuam credulitatem expugnandam, quam ad irritandam etiam honeſtiorum hominum patientiam inſtructis, in arenam deſcendit . Acerrime pugnatum. Pugnandi cauſæ aliquando graves, prælio dignæ, ob utilem victoriæ exitum ; ſæpiſſime leves, ob inanem, qui ex his refertur , triumphum . Placuit tamen in utraque fortuna pugnare; & eo pugnandi cupido evaſit, ut, ubi extincta videbatur, truculentior exſurgeret ; freno quidem nunc coercenda , cum amplius ſtimulis non indigeat. Antiquitatis denique ſtudium , quod perpetuo veluti fideicommiſſo a Majoribus accepimus, ad intimas adſiduaſque meditationes animos inflammat. Inſcriptiones, & icones , ære aut marmore inciſæ ; ſtatuæ ac inſtrumenta in varios uſus a veteribus conſtructa ; aut quidquid eſt aliud curioſis oculis adſpectabile atque inſigne, quod integrum, beneficio temporis, hactenus ſervatur , aut fractum corroſumque , in ſpeciem theſauri , e latebris effoſſum luci reſtituitur , dotem hiſce exercitationibus nimis pinguem ſtatuere . Hæc omnia infidum conjecturis imperium largiuntur, quæ, ſæpe recto examine diſpoſitæ, vetuſta ornant illuſtrantque monumenta ; non raro tamen ſpecioſis mendaciis , contortiſque hariolationibus imperitos rerum in fraudem conjiciunt; iis vero, quibus imponere non facile negocium, nauſeam creant.

Hic

XV

Hic tantus doctrinarum apparatus felicitati nostrorum temporum mirum quantum favet: vitæ tamen brevitati, quæ complecti nequit omnia, votisque nostris, quæ excludere nihil vellent, maxime nocet. Copia laboramus, eo minus ferenda, quo illa opprimit, non sublevat: in melioribus seligendis non levis difficultas: urget inde desiderium ulterius progrediendi: relinquimus illa; amplectimur ista: parum, dum cura dividitur, in utrisque proficimus. Ecquis est enim, qui naufragium non patiatur in immensa voluminum congerie, quæ firmam quamque impavidamque terrent oculorum aciem? Latet prorsus, plus ne utilitatis, an incommodi, Reipublicæ litterariæ attulerit mirabilis typorum inventio, fœcundissima ad propagandas insignium Operum editiones mater, cui Scriptores incertam antea vitam & sæpe obscuram, perennem nunc debent ac luminosam. Sed oh! quanto felicior, si adulteram eam non reddidisset luxurians multorum intemperantia, qui fœtus, malo omine natos, ita perdite amant, ut emori videantur, nisi eos typis infauste tradant. Hinc facile colligitur, longe majus ad parandam Sapientiam nobis onus impositum, quam veteribus. Nos quantum temporis perpetuæ lectioni impendimus, tantum liberæ meditationi detrahimus; illi, quantum sat erat, legebant, accuratius meditabantur: memoriam nos plus nimio exercemus; laxius illi ingenio utebantur; aliena nos perscrutamur; propria de suo illi pariebant. Quamobrem desideranda potius foret quædam sobria paupertas, quæ ad novas quærendas divitias invitaret; quam tantæ jam fucatæ divitiæ, quæ nos ad animi paupertatem redigunt. Res ex se ipsa patet. Quod si comparatione indigeat, hoc ipsum cibi monent, qui pauci sanitati consulunt, multi ægritudinem afferunt: monent hoc ipsum imbres, quorum ingenti impetu terra flaccescit, moderata copia nutritur.

Verum

XVI

Verum enim vero, ut aliquod incommodis nostris, quæ ex ipsa auctarum Scientiarum ubertate manat, remedium præsto foret, inventa sunt in nostræ imbecillitatis subsidium Compendia magnorum Operum, & Lexica. Hisce contractæ in epitomen longæ tractationes, aut juxta dispositam vocabulorum seriem res strictim explicitæ, minus memoriam torquent, intelligentiam fatigant minus ac opprimunt. Optume factum, si hoc auxilio uteremur, quantum res ipsa modeste postulat; non quantum in futilem ambitionem propensa immodiceque diffusa invaluit consuetudo. Compendia, quamvis illa sint, quæ elegantia non careant, primas afferunt sub externo cortice notiones; leviter ac fugaci cursu res proponunt; non illas ex sua origine ac progressu plene tractant; faciliora ostendunt; implicita ac recondita prætermittunt. Lexica vero per saltum, & facis more per oberrantes vias celeriter prætereuntis, ex re in rem transiliunt: nullus in iis nexus & concordia: ubi vocabulorum situs aliquid exponi postulat, tantisper ibi immorantur; ad omnino diversa mox excurrunt: alterum ab altero non pendet, nec mutuo fœdere colligatur: multa quidem memorantur, sed incomposito itinere ac tortuoso: quod prius colligitur, re nova proposita, statim derelinquitur: &, filo ac ordine deficientibus, confusa & imperfecta omnia tenui nos precio emimus; tenuissimo venditamus. Sapientia, quæ hisce ex fontibus derivatur, meretricia ac fucata pulcritudine incautos allicit; non autem pectus solida eruditione concoctum reddit: superbos constituit, qui doctrinæ superficie inflantur: neminem, qualem desideramus, integre doctum exhibet, qui intimas rerum causas recte videat, funditus exploret, perspicue dissolvat. Non adeo tamen hujusmodi libri damnandi, si in peritissimorum manus incidant. Juvant profecto, ut sub brevi aspectu quisque perlustret, quod antea summis vigiliis comparavit; & memoria, huc atque illuc distracta, res illas ad se revocet, quæ aufugerent, & sine hac face obscuræ laterent.

Nullum

XVII

Nullum tamen hac in re præſtabilius remedium apparet, quam potiſſima eorum cura, qui in unaquaque Facultate Opuſcula ſucci & ſanguinis plena colligunt; atque ex ipſis nitidum corpus, lectiſſimis membris compactum, efformant, ac in medium pro communi bono proferunt; quod, doctiſſime FELLENBERGI, veſtræ ornatiſſimæ SOCIETATIS in præſens eſt inſtitutum, laudandum, ut nihil ſupra. Mirabilis ex hiſce Collectionibus exſurgit delectatio, eximius ſperatur profectus. Varia ſuper iiſdem vel diverſis argumentis Scriptorum indoles deprehenditur, eorum ſcilicet, qui conciſo vel ubere ſtilo ſenſus explicent; qui ſubtilitate rationum, vel exemplorum copia polleant; qui aliorum excogitata novis repertis confirment, vel ſolidis argumentis deſtruant. Addas ex ipſa brevitate, cui adhærent Opuſcula, neſcio quid celeris ac repente vibrati ictus oriri, quo non ſine hilaritate excutimur; nec ingrata mora ac faſtidio, quibus ſtudiorum iter aut non ſuſcipimus, aut ſuſceptum deſerimus, torquemur. Ingentia volumina, quæ utinam perpetua niterent dignitate, gloriamque omni ex parte conſequerentur, raro admodum & a perpaucis integra obſtinatò conatu volutantur: & ſiquis eſt, qui in tam improbo labore delicias ſuas faciat, aut vi neceſſitatis ab hoc inſtituto nequeat diſſolvi, duro compede detentus ad alia accedere prohibetur; & uno doctrinæ genere ſaginatus, macer ac jejunus in reliquis, quæ forſan negligenda non forent, miſerrime contabeſcit.

XVIII

Sed quæ tibi, Vir clariſſime, a Sociis tuis ornanda demandatur provincia, Diſſertationum nempe & Opuſculorum, quæ Juriſprudentiam ſpectant, Collectio, nobilior, mea quidem ſententia, videtur: & tibi eximium honorem paritura. Reliquæ, quæ in Republica litteraria Scientiæ verſantur, commendandæ omnes quidem & colendæ; at non eadem omnibus utilitas ac præſtantia. Quædam de-

le-

lectant sine proventu ; juvant aliæ sine gratia ac lepore : nonnullæ obscuris involutisque reguntur principiis ; & , dum ultra progredi tentant , retrorsum impelluntur . Non desunt etiam , quæ inconstantia temporum hominumque versatili ingenio mentes in contraria scindant studia , & in eligenda tutiori sententia spiritum exagitent ac contorqueant . Jurisprudentiæ tamen ea dos in numerato constituta , ut ab omnibus amari debeat , a nemine præteriri . Quod si præcipuas necessariasque Facultates (quæ non multæ sunt) ipsa una non vincat omnino ; nulli tamen secunda ac inferior est reputanda : immo supra cæteras duplici prærogativa effulget , quod latior sit , & antiquior : latior , quia humanas res & divinas complectitur universas ; antiquior , quia cum ipso humano genere nata , eodem extincto , unice peritura . Sane quam amplam lectissimamque super hoc argumento penes Scriptores , incorruptæ doctrinæ custodes , messem invenies , qui sive privatum Jus sive publicum concinne enuclearunt !

XIX

Et , ut aliquid hoc loco de hisce Jurisprudentiæ partibus præmonstrem , ecce tibi quod animo meo revolvo . Jus privatum , illud præsertim , quod a sublimi romana Sapientia ad nos pervenit , amœnissimas sternit vias , per quas excurrant ingenia , & non avara manu nobilissima spargant undique doctrinæ semina . Sunt , qui ad verborum proprietatem , originem , elegantiam , gravitatemque internoscendam sese convertunt : & in hoc non vulgaris cura , quæ forte ab imperitis spernitur , a doctis maxime desideratur : latet enim in verbis vis quædam ac potestas , quæ legis mentem illustrat ; qua cognita , in tuto veritas ; ea non rite perspecta , consequens est fallacia . Alii ad eruenda moralis Philosophiæ præcepta , melius usu acquisita , quam in scholis tradita , vires intendunt ; & hujusmodi nobile tentamen recta vivendi disciplina pectus imbuit ; unde singuli , quod abnorme sit ac invisum , fugiant ; quod utile & decorum , consequantur . Quidam , ad effingendam tam

tam Justitiæ quam Æquitatis imaginem vivos colores adhibent: alteram sine asperitate stabilem, mobilem alteram sine inconstantia depingunt: utramque vero non uno aspectu ad eumdem finem sine discordia compositam. Non pauci discutiendis Jurisconsultorum diversis sententiis vacant, vel antiquitati addictis in obsequium receptæ traditionis; vel novitati consecratis in ferventis ingenii blandimentum. Nonnulli operam locant in rebus oppositis amico fœdere conciliandis; in dissitis loco suo reponendis; in restituendis suo lumini obscuris; in explicandis ex historia legibus, & ex legibus historia; tum in rationibus sedulo inveniendis, cur, quæ subsequutæ sunt ætates legibus romanis multa addiderint, alia detraxerint, quove improbo fato illas neglexerint; qua deinde sorte recuperaverint.

XX

Sed beneficium, quod ex tua Collectione speratur, illud est præcipuum, quod nihil, quod doctissimorum hominum palatum non mulciat ac delectet, in sinu suo excipiet. Forenses quisquiliæ, & tumultuariæ ac incompositæ quæstiones, in usum litium maligno fato subortæ, & vilium Jurisconsultorum præpostero studio, pro funesta improbi laboris dote auctæ ac diffusæ, sedem in hoc Palladis Sacrario non invenient. Fori dignitatem non damno: peccarem enim in publicum bonum: laudo potius institutum, quod necessitati servit, & civili tranquillitati consulit ac respondet: teneo, idem esse, Foro carere, ac privatarum controversiarum asylum de medio tollere. Vellem tamen, ut huc accederent viri graves, luminosa mente præditi, firma legum peritia ornati; qui jus ingenio ac industria illustrarent, non vaniloquentia, & confusa legum imagine corrumperent. Contra res accidit; &, si nonnullos excipias, laude dignos, reliqui in hanc arenam descendunt, nullis aliis armis instructi, quam inculto sermone, tricis obscurissimis, & doctrina, non e puris fontibus hausta, sed a fæce ac sentina ineptorum Scriptorum excerpta. Abeant isti procul ab hac insigni Facultate cum eorum omnibus,

quas, invita Minerva, in lucem parturiunt, lucubrationibus. Onerent hujufcemodi libri, hercle quam putidi, bibliothecas, non in earum ornamentum, cui bellum indicunt; fed ad augendam voluminum molem, quam facile gignit immenfa, unde agitantur, fcribendi cacoethes: & pro certo ipfis ftatuant, eo merito carere, ut cum felectiffimis Jurifconfultorum operibus focietatem ineant: alliciant, uti velint, quos fpurios, & ex ignorantiæ concubitu natos fuaviffimæ Charites reprobant, & odio profcindunt: laudatores non fperent, quorum judicium litteraria Refpublica fequitur ac veneratur; & in precium eorum ftultitiæ mori famæ ac gloriæ patiantur.

XXI

Porro huic Collectioni alia non exigua dos accedit, quod emunctæ naris Auctores complectatur, qui non unius incogniti forfan populi leges & mores narrent ac explicent; fed celebriorum Nationum, quibus expoliendæ humanitatis ardor incaluit. Videbimus, quid Ægyptiis placuerit, qui, difcuffis anterioris ævi tenebris, fapientiam (prout iis in rerum obfcuritate, non adhuc plene expulfa, licuit) ab innocua ac tacita naturæ loquela inter primos in ufum Civilis Commercii acceperunt; unde iis rudis quædam poteftas data eft facem pofteris præferendi, non omnino fplendidam, fed oftendendæ viæ indicem; ut deinde ifti feliciori forte cognofcerent, qua mente, quæ plurima colligit, qua arte, quæ meliora eligit, publicæ privatæque res gubernentur: quibus pœnis culpæ, humanæ imbecillitati familiares, coërceantur; quibus præmiis virtutes, fupremo animi conatu adquirendæ, animentur. Præterea, quid ex divite penu divini oraculi mutuarint Hebræi, non humano, fed cælefti confilio ad gentis fuæ regimen defignati: quid fimplicitati morum, quæ allicit, quid fanctimoniæ Religionis, quæ terret, quid inconftantiæ indolis, quæ turbat, nunc fub Patriarchis, nunc fub Judicibus, nunc demum fub Regibus, Deo femper Legislatore, eodem femper primario nationis Principe, ipfis expedire in fundanda

quadam

quadam peculiari Jurisprudentia, regni institutis magis accomoda & opportuna, visum fuerit. Quid insuper Græcis arriserit, qui ex Philosophiæ scholis homines effinxerunt, non tantum privatis moderandis affectibus dicatos, quæ domestica quædam exercitatio est; sed publicæ utilitatis studiosos, & civilis disciplinæ custodes; a quibus nova facies societati appicta est, facilis nempe, urbana, & tota in amicitiam composita; non autem aspera ac severa, quam prius induxerat parum expolita antiquitas. Tandem quid a Romanis additum immutatumque fuerit, qui ex adepto universi Terrarum Orbis dominio non tantum sui nominis gloriam et imperii potentiam extendere et augere conati sunt; sed barbaros immanesque alienigenarum mores evellere, et mitiores sub æquissimis legibus inducere, in primis curarunt: quo factum est, ut non ociosa, & inani serto præcincta, in eorum statutis jaceret Philosophia; sed operosa, et majestatis plena, æqua sorte, sapientum pectora invaderet, et ignavos vulgi sensus sub recta justitiæ norma erudiret.

XXII

Et quamquam, ut ex tuis posterioribus literis accepi, in hujusce Collectionis censum non veniant, qui peculiari nomine de Jure Naturæ et Gentium scripserunt; sed ii tantum, qui illustrium populorum publicum privatumque Jus adornarunt: ipsa tamen, quæ ab insitis naturæ præceptis, et a constantibus Nationum moribus profluit, doctrina, ære perennior, non omnino legentium oculos aufugiet: ea enim in singulis regnorum constitutionibus, licet non primo aspectu sese explicet; occulte tamen latitat, et interna vi dominatur. Nihil enim in commune prodest, et dignitatem legibus conciliat, quod a natura, tamquam a prima ac sedula rerum magistra, et a totius humani generis consensu, tamquam a fido ac docto ipsius naturæ interprete, non descendat. Bonum quod sequimur, malum quod vitamus, (præter id, quod divina docent oracula) non alio lumine cognoscimus, quam eo, quod sapiens ani-

 mo-

morum moderatrix excitat natura ; non alia ratione in recto proposito confirmamur , quam ea , quæ a communi hominum opinione recepta est . Hisce præsidiis facile a tenebris , quibus involvimur , discedimus ; et in lucem , quam avide quærimus, feliciter devenimus ; civilemque concordiam , optimis institutis fundatam , tuemur . Nemo itaque conqueretur , prætermissam abs te hanc juris partem : nam , licet eam distinctis tractatibus collectam non habebit ; habebit tamen sparsam ac diffusam in iis Opusculis , quæ singulares populorum , quos memoravimus , leges ac consuetudines ex suis principiis enuclearunt . Hæc profecto, quæ, non voce ac scripto addiscitur, sed accepto a natalibus instinctu comparatur doctrina , in humano pectore residet ac imperat : & veluti succus ac sanguis , qui sensim & sine sensu per arctus & venas diffunditur, alit, confirmat, ac vivificat; omnia civitatum ac provinciarum statuta suis præceptis imbuit, & sanam iis vitam defendit; firmamque ac stabilem in posterum pollicetur. Ita sane, ut apud gentes omnes, quæ feritati renunciarunt , & sese amabili societati addixerunt , nihil receptum invenies , quod naturæ dogmata perturbet ; aut receptam universorum sententiam negligat ; constuprataque honestatis facie , male natas incauti aut furentis arbitrii lubidines infami conatu nobilitet, pudendaque optione consectetur.

XXIII

In iis igitur publici privatique Juris argumentis , ad quæ mentem industriamque tuam convertis , exstant libri pene infiniti ; fateor , non omnes publica luce digni ; plerique tamen de litteraria Republica optime meriti : inter quos alii mole sua ingentes , ac robusto corpore præditi , minus a sinistro fato timent ; & per se ipsos, suarum virium firmitate , adversus temporum vicissitudines defenduntur: nonnulli vero pusillæ molis, sed eximiæ pulcritudinis, amantissimo patrono indigent , ne pereant ignoti , neve perennis vitæ præmio, quo coronari debent , ab irata sorte spolientur . Qua de re hujus infortunii nimis

con-

conſcii, tuam in parata jam Collectione opem ac patrocinium tacite deſiderant, & fervide expoſtulant: nec tali ſpe falluntur ſub ea hoſpitali umbra, quam ipſe egregio tuo labore benigne ac eleganter præſtabis.

XXIV

Rogo igitur te, Socioſque tuos, atque obteſtor, ut inceptum opus quam citiſſime perficiatis. Aperite ſitientibus puros fontes, eſurientibus dulces epulas apponite. Veſtra menſa non uno quidem potu, non uno cibo ſplendide paratur; multis illa exquiſitis ſuccis abundat, multis opiparis dapibus inſtruitur. Si non idem palatus, non eadem omnibus voluptas, parvi refert. Singulis optio in diverſa copia patebit; quod magis velint, quodque cupiant magis, habebunt. Nemo ſine utilitate, quæ ditat animum, ſine oblectamento, quo mens reficitur, diſcedet. Scimus, unius argumenti libros hac ſorte non frui: ab aliquibus excipiuntur, recuſantur ab aliis: & niſi eos, a quibus peculiaris illa doctrina colitur, nanciſcantur, facili ac avido carent lectore. Veſtram Collectionem ſoli Muſarum hoſtes, qui Sapientiæ mortui, ſuo tantum vivunt dedecori, repellent: is vero, cui primis labiis ſapiant litteræ, pudori ducet, illam non ſtatim quærere, oculis non attente perluſtrare, inter precioſa quæque diligenter non cuſtodire. Rara librorum felicitas, nemini odio eſſe, cunctos allicere, ab hominum memoria numquam deleri. Hic dabitur Collectioni veſtræ præcipuus honos, hæc ſupererit vobis auctoribus gloria ſingularis, quæ innumeras in præſens ab iis, qui lucis uſura fruuntur, laudes ſuſcipiet; pares etiam & nuſquam interituras a poſteris, qui, tanti beneficii participes, ingrati animi vitio non laborabunt, feliciter expectat. Vale.

AD CL. V. ELEGANTEM POETAM, ET IN PHILOSOPHIA 1 ΠΕΝΤΑΘΛΟΝ

JOSEPHUM AURELIUM DE JANUARIO

FRANCISCI GALLUPPI J.C. ET ADVOCATI NEAPOLITANI, URBIS AD TROPÆA PATRITII

EPIGRAMMATA.

I

Te generum, Vates, sibi vult emere omnibus undis
Hippocrenæis aurea Mnemosyne.
Teque unum, cui fata favent, dum sistit Athenas,
Credite, dotales, dia 2 Minerva petit.
Duxeris hanc; referes redivivum mente Platonem:
Si 3 Musam; Latio carmine Phœbus eris.

II.

1 ΠΕΝΤΑΘΛΟΝ) Sic dixere Democritum Abderitam. Laërtius lib. IX, segm. XXXVII: καὶ ἦν ὡς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ πένταθλος. τὰ γὰρ φυσικὰ (ex Suida in πένταθλος supplet Casaubonus, ἤσκητο γὰρ τὰ φυσ.), καὶ τὰ ἠθικὰ, ἀλλὰ καὶ τὰ μαθηματικὰ, καὶ τοὺς ἐγκυκλίους λογους, καὶ περὶ τεχνῶν πᾶσαν εἶχεν ἐμπειρίαν. *Et erat revera in Philosophia quinque certaminum peritus. Callebat enim Physica, Ethica, Mathematica, & disciplinas liberales, omniumque artium peritus erat.*

2 *Minerva*) Nuptiæ Minervæ non sunt insolentes. M. Annæus Seneca in Suasoria I, pag. V, & VI editionis Elsevir. CIϽIϽCLXXII: *Nam cum Antonius vellet se Liberum patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi juberet, habitu quoque & comitatu Liberum imitaretur .... Athenienses ...... dixerunt despondere ipsos in matrimonium Minervam suam, & rogaverunt ut duceret. Ac Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta.*

3 *Musam*) Nec Musæ dedignantur maritos. Oeagrus enim

II

Ah ne te capiant Actæ dona Minervæ:
Parthenope quærit te dea nostra virum.
Hæc tibi dotalem offert Craterem, atque repostas
Euboici gazas ambitiosa maris.
Forte Aganippæas petis undas? en tibi dulcis
Sebethus: Parnassum? En tibi Pausilypus.

III

1 *Tercentum potuere viri, quis crederet?* 2 *arma*
Barbara in Oetæis spernere Thermopylis.
Unus homo Latiam Musis dum restituis rem,
Ipse potes cunctam vincere barbariem.

IN-

enim ex Calliope suscepit Orpheum. Apollonius Rhodius Argonauticorum lib. I, v. XXIII, XXIV, XXV:

Πρῶτά νυν Ὀρφῆος μνησώμεθα, τόν ῥά ποτ᾽ αὐτὴ
Καλλιόπη θρήϊκι φατίζεται εὐνηθεῖσα
Οἰάγρῳ σκοπιῆς πιμπληΐδος ἄγχι τεκέσθαι.
Principio igitur Orphei meminerimus, quem ipsa
Fertur Calliope, cum sui fecisset copiam Thraci
Oeagro, genuisse prope speculam Pimplæ.

1 *Tercentum*) Spartani scilicet, quorum omnium nomina se sciscitatum fuisse testatur Herodotus in Polymnia cap. CCXXIV edit. Gronov. ἐπυθόμην δὲ καὶ ἁπάντων τῶν τριηκοσίων (Σπαρτιητέων τὰ οὐνόματα).

2 *Arma*) Idem paullo ante: ἅτε γὰρ ἐπιστάμενοι τὸν μέλλοντά σφι ἔσεσθαι θάνατον ἐκ τῶν περιϊόντων τὸ οὖρος, ἀπεδείκνυντο ῥώμης ὅσον εἶχον μέγιστον ἐς τοὺς βαρβάρους, παραχρεώμενοί τε, καὶ ἀτέοντες. Δόρατα μέν νυν τοῖσι πλέοσι αὐτέων τηνικαῦτα ἐτύγχανε κατεηγότα ἤδη, οἱ δὲ τοῖσι ξίφεσι διεργάζοντο τοὺς Πέρσας. *Quumque scirent impendere sibi necem ab iis, qui montem circumiverant, quantum maxime roboris poterant, id in barbaros ostendebant, ingruentes ac sese intrudentes. Quorum plerisque quum jam lanceæ diffractæ essent, illi vero gladiis Persas obtruncabant.*

INGENUARUM ARTIUM XENIA.

SCHEMATA QUINQUE 1 PYTHAGORICA.

IV

Schemata quinque sumus : 2 naturæ arcana retecta
3 Timæus nobis debet, & ipse probas.

SPHÆ-

1 *Pythagorica*) Veterum Philosophorum epigramma apud Michaëlem Psellum in Geometrica συνόψει inventionem Pythagoræ vindicat quinque schematum, quæ vulgo quinque corpora regularia Platonis dicuntur, & de quibus agit Euclides in Stereometria, libro scilicet XIII, XIV, XV, & XVI,

> Σχήματα πέντε πλάτωνος, ἃ Πυθαγόρας σοφὸς εὗρε,
> Πυθαγόρας σοφὸς εὗρε, Πλάτων δ' ἀρίδηλ' ἐδίδαξεν,
> Εὐκλείδης ἐπὶ τοῖσι κλέος περικαλλὲς ἔτευξε.

Vertit Gulielmus Xylander pag. LII edit. Elzevir. CIↃIↃCXLVII,

> *Pythagoræ inventum sapientis, quinque Platonis,*
> *Pythagoras reperit, Plato quas docuitque, figuræ:*
> *Proximus Euclides celebre est his nomen adeptus.*

2 *Naturæ*) Timæus in dialogo, cui Plato hujusce Locri Pythagorei Philosophi nomen inscripsit, Cœlo, & quatuor elementis dicta quinque schemata attribuit: igni scilicet pyramidem, seu Tetraëdron: aëri Octaedron: aquæ Icosaëdron: cubum sive Hexaëdron terræ: Cœlo denique Dodecaëdron. Late hæc ibidem sunt pertractata, & copiosius apud Platonicos; strictim vero apud Psellum.

3 *Timæus*) De eo en illustre Platonis testimonium in Timæo, seu verius in commentario ad Timæi librum, qui extat, περὶ Ψυχᾶς Κόσμω, καὶ Φύσιος, de Anima Mundi, id est, Natura, pag. MXLI edit. Francof. MDCII: Τίμαιός τε γὰρ ὅδε, εὐνομωτάτης ὢν πόλεως τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Λοκρίδος, οὐσίᾳ καὶ γένει οὐδενὸς ὕστερος ὢν τῶν ἐκεῖ, τὰς μεγίστας μὲν ἀρχάς τε καὶ τιμὰς ἐν τῇ πόλει μετακεχείρισται, φιλοσοφίας δ' αὖ, κατ' ἐμὴν δόξαν, ἐπ' ἄκρον ἁπάσης ἐλήλυθε. *Nam & Timæus hic cum esset e Locris civitate in Italia, optimis legibus fundata, neque quoquam civium aut divitiis*

SPHÆRA ARCHIMEDIS.

V

Ecce Syracosii tibi dædala Sphæra magistri,
Æmula quæ cœlo territat astra Jovi.

PHILOLAUS.

VI

Quæ scripsit 1 *Philolaus habes, olim* 2 *emta Platoni:*
Et venit ad pluteos Græcia magna tuos.

TELESCOPIUM GALILEI.

VII

Quo Medicea Jovis mireris sidera volvi,
Heros Lynceus mittit ab axe tubum.

PRIS-

vitiis aut genere inferior, summos in ea civitate & honores & magistratus gessit, & ut ego arbitror, ad summum in omni philosophia fastigium pervenit. Et pag. MXLVI: Ἔδοξε γὰρ ἡμῖν Τίμαιον μὲν, ἅτε ἀστρονομικώτατον ἡμῶν, καὶ περὶ φύσεως τοῦ παντὸς εἰδέναι μάλιστα ἔργον πεποιημένον, πρῶτον λέγειν, ἀρχόμενον ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεος, τελευτᾶν δὲ εἰς ἀνθρώπων φύσιν. *Visum est enim nobis, ut Timæus, utpote in Astronomia nostrorum omnium peritissimus, & qui in scientia naturæ Universi potissimum operam collocavit, primas dicendi partes sustineret ab ipsa mundi generatione incipiens, & in hominum procreatione finiens.*

1 *Philolaus*) Hujusce Crotoniatæ Philosophi Pythagorei scripta ætatem non tulere; ejus tamen sententia de Mundi Systemate in quam plurimis Astronomorum libris vivit. Hinc Ismaël Bullialdus quatuor libros *De vero Mundi Systemate* Philolaum inscripsit, jam Amsterodami editos MDCXXXIX, & deinde Parisiis anno MDCXLV ejusdem Astronomia Philolaica *in dias luminis oras* exorta est.

2 *Emta*) Laërtius lib. VIII, segm. LXXXV: γέγραφε δὲ βιβλίον ἕν, ὅ φησιν Ἕρμιππος λέγειν τινὰ τῶν συγγραφέων, Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον παραγενόμενον εἰς Σικελίαν πρὸς Διονύσιον ὠνήσασθαι παρὰ τῶν συγγενῶν τοῦ Φιλολάου, ἀργυ-

ρίου

PRISMATA VITREA.
VIII

Accipe quæ varios adverso Sole colores
Iridis in terras vitra trigona trahunt.

PYXIS NAUTICA.
IX

Quas dedit, ut pergas dotales Pallas Athenas,
Duxque comesque viæ nautica Pyxis ero.

LYRA.
X

Otia qua possis, & tristes fallere curas,
1 *Orpheos ecce Lyram detulit Uranie.*

TABULA CHOROGRAPHICA.
XI

Hanc tibi do tabulam, qua tota est Græcia picta,
Pallados illa tuæ regna, Geographia.

LI-

ρίου Ἀλεξανδρινῶν μνῶν μ΄· καὶ ἐντεῦθεν μεταγεγραφέναι τὸν Τίμαιον. *Scripsit autem librum unum; eum autem, ut Hermippus quempiam scriptorem dixisse refert, Platonem Philosophum, cum in Siciliam ad Dionysium profectus esset, emisse a Philolai consanguineis argenti minis Alexandrinis quadraginta: atque inde transcripsisse Timæum.* Minæ autem quadraginta, ut ibidem annotat *Aldobrandinus*, ad pecuniæ nostratis rationem si revocentur, nummos aureos quadrigentos efficiunt.

1 *Orpheos*) M. Manilius Astronomicorum libro primo vers. CCCXXIV . . . CCCXXX:

At lyra diductis per cœlum cornibus inter
Sidera conspicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cantu, manesque per ipsos
Fecit iter, domuitque infernas carmine leges.
Huic cœlestis honos, similisque potentia caussæ
Tunc silvas, & saxa trahens, nunc sidera ducit,
Et rapit immensum mundi revolubilis orbem

LIVIUS.

XII

Ipsa tibi Decadas Romæ, quas scripserat omnes
Livius, Heroum porrigit Historia.

THEOPHRASTUS IN MEMBRANA.

XIII

1 Ο῞, ττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται,
O te felicem! 2 *Tyrtamus edocuit.*

XENOPHON IN MEMBRANIS.

XIV

Alter eris nobis Xenophon: salve 3 *Attica Musa:*
Salve Parthenopes gloria, delicium.

CLE

1 Ο῞, ττι) *Quod sit in ædibus, illud sitne bonumve malumve*: Designatur moralis Philosophia hoc versu Homeri CCCXCII Odyss. IV, *quem Socrates præ omnibus semper rebus sibi esse cordi dicebat*, ut refert Gellius lib. XIV, cap. VI. Sextus Empiricus lib. VII adversus Logicos pag. CCCLXXIV, sect. XXI edit. Fabric. καθὸ καὶ ὁ Σωκράτης παρήγγελλε μηδὲν ἄλλο ζητεῖν εἰ μὴ

Ο῞, ττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. *Quamobrem præcipiebat quoque Socrates nihil aliud quærere, præterquam*

Ædibus in nostris quæ prava, aut recta gerantur. Scripsit Theophrastus, teste Laërtio lib. V, segm. XLVII. Ἠθικῶν σχολῶν, α', *Scholarum moralium librum unum*, qui periit. Extant hodie ejusdem *Morum descriptiones*, Ἠθικοὶ Χαρακτῆρες, ibidem memorati, sed proh dolor! mutili, ut in Prolegomenis ostendit Isaacus Casaubonus, qui aureo commentario illos illustravit.

2 *Tyrtamus*) Laërtius lib. V, segm. XXXVIII: Τοῦτον, Τύρταμον λεγόμενον, Θεόφραστον διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον Ἀριστοτέλης μετωνόμασεν. *Eum, cum antea Tyrtamo illi nomen esset, ob divinam elocutionem, Aristoteles Theophrastum appellavit.*

3 *Attica Musa*) Laërtius lib. II, segm. LVII: ἐκαλεῖτο

δὲ

CLEPSYDRA.

XV

Secedat 1 *Clepsydra, foro dum differis: horâ*
Est brevior nobis integer ipse dies.

CATENA AUREA.

XVI

En tibi largitur Pitho sua signa: 2 *catena est*
Aurea, quæ linguæ pendet ab ore tuæ.

PAR-

δὲ καὶ (Ξενοφῶν) Ἀττικὴ μοῦσα, γλυκύτητα τῆς ἑρμηνείας. *Appellabatur autem* (Xenophon) *Musa Attica, ob eloquentiæ dulcedinem.*

1 *Clepsydra*) *Cui non dictus Hylas?* mos videlicet, ut ad Clepsydram Oratores & Græci, & Latini dicerent. Unus pro millibus sit vir magnus Budæus noster Annotat. in Pandectas pag. CCCLXXII, & CCCLXXIII edit. Basil. MDLVII.

2 *Catena*) Lucianus in Præfatione seu Hercule Gallico pag CCCLXVI tom. II edit. Batavæ MDCLXXXVII: ὁ γὰρ δὴ γέρων Ἡρακλῆς ἐκεῖνος, ἀνθρώπων πάμπολύ τι πλῆθος ἕλκει, ἐκ τῶν ὤτων ἅπαντας δεδεμένους. δεσμὰ δέ εἰσιν οἱ, σειραὶ λεπταὶ χρυσοῦ, καὶ ἠλέκτρου εἰργασμέναι, ὅρμοις ἐοικυῖαι τοῖς καλλίστοις. *Senex ille Hercules hominum ingentem multitudinem trahit, omnes ab auribus revinctos. Vincula, quibus id facit, tenues sunt catenæ, auro electroque confectæ, pulcherrimis monilibus assimiles. Et paullo post:* οὐ γὰρ ἔχων ὁ ζωγράφος ὅθεν ἐξάψει τὰς σειρὰς τὰς τῶν δεσμῶν ἀρχὰς, ἅτε τῆς δεξιᾶς μὲν, ἤδη τὸ ῥόπαλον, τῆς λαιᾶς δὲ, τὸ τόξον ἐχούσης, τρυπήσας τοῦ θεοῦ τὴν γλῶτταν ἄκραν, ἐξ ἐκείνης ἑλκομένους αὐτοὺς ἐποίησε, καὶ ἐπιστραπταί γε εἰς τοὺς ἀγομένους μειδιῶν. *Cum non haberet pictor, unde catenularum summas ansas necteret, videlicet dextra jam clavam, sinistra arcum tenente: perforata summa Dei lingua, ex hac illos trahi fecit: atque hic conversis ad eos, quos ducit, oculis arridet.* Hinc suum effinxit Emblema CLXXXI Alciatus noster, qui primus, barbarorum sordidibus abstersis, Romanæ Jurisprudentiæ pristinum nitorem restituit, & Musas, quas colimus, amavit.

PARMENIDES.

XVII

Unum, *te docuit, quid sit,* 1 *velut alter Apollo,*
Illita & his chartis dogmata Parmenides.

LEGES XII TABULARUM.

XVIII

2 *Eunomia, & Themis ipsa tibi dat* Δωδεκάδελτον,
Quam cultam 3 *Latio carmine reddideris.*

ASPHODELUS.

XIX

4 *Asphodelum, longo vigeas ut flore juventæ,*

Hip-

1 *Velut alter Apollo*) Oraculum primæ Philosophiæ est Academicis Eleates Parmenides Platonis.

2 *Eunomia*) Filia scilicet Themidis. Pindarus Olympionic. Od. IX, antistroph. I, vers. VIII, IX, X urbem Opuntem laudans infit:

Ἄν Θέμις θυγάτηρ τέ οἱ
Σώτειρα λέλογχεν
Μεγαλόδοξος Εὐνομία.
Quam Themis & filia ejus
Servatrix sortita est,
Magni nominis Eunomia.

3 *Latio carmine*) Eunomiæ, & Themidis tibi jussa capessere fas fuit in vetere Νομοθεσίᾳ S. P. Q. R. Hinc exosculati sumus insertam, pag. CCXCVII . . . . . CCCLX, immortali tuæ *Reipublicæ Jurisconsultorum*, quam cand di ingeniorum æstimatores Viri principes Academiæ Lipsiensis in Actis Eruditorum anni MDCCXXXIV summis laudibus extulerunt. Jam antea ecrum collega clarissimus Fridericus Otto Menkenius statim post primam Neapolitanam, alteram tanti Operis ἔκδοσιν Lipsiæ elegantissima ad te epistola instructam in gratiam Germanæ gentis curaverat.

4 *Asphodelum*) Hesiodus ἐν Ἔργοις, καὶ Ἡμέραις vers. XL, XLI.

Νήπιοι· οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,

Οὐδ'

Hippocrates 1 *campis mittit ab Elysiis.*

NO-

Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.
Stulti: neque sciunt quanto plus dimidium sit toto,
Neque quam magnum in malva, & asphodelo bonum.

Memor est Hesiodi Theophrastus Histor. Plant. Lib. VII, cap. XII, pag. CXLVII edit. Heinf. πολλὰ δὲ εἰς τροφὴν (ὁ ἀσφόδελος) παρέχεται χρήσιμα . καὶ γὰρ ὁ ἀνθέρικος ἐδώδιμος σταθευόμενος , καὶ τὸ σπέρμα φρυγόμενον . πάντων δὲ μάλιστα ἡ ῥίζα κοπτομένη μετὰ σύκου . καὶ πλείστην ὄνησιν ἔχει καθ' Ἡσίοδον . *Permulta ad cibum* (asphodelus) *affert utilia: Quippe albucum tostum in cinere manditur , & semen torrefactum usui est. Sed radix tusa cum ficu in usum maxime omnium venit , & utilitatis plurimum, authore Hesiodo , praebet .* Hic Theophrasti locus , unde sua corrasit Suidas in voce Ἀσφόδελος fugit diligentiam doctissimi Ludolphi Kusteri in notis ad illum Lexicographum.

1 *Campis mittit ab Elysiis*) Apud inferos Homericos incedunt Heroes per pratum , ubi asphodeli proveniunt, Odyss. XI, vers. DXXXVII, DXXXVIII:

Ὡς ἐφάμην · ψυχὴ δὲ ποδώκεος Αἰακίδαο
Φοίτα, μακρὰ βιβῶσα , κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα .
Sic dicebam ; anima autem pedibus celeris Aeacidae
Abibat magnifice incedens per pratū,ubi asphodelus nascitur.

Perperam vertunt interpretes , etiam Josua Barnes in nitidissima sua Homeri editione , *per herbosum pratum* . Et vers. DLXXI, DLXXII.

Τὸν δὲ μετ' Ὠρίωνα πελώριον εἰσενόησα
Θῆρας ὁμοῦ εἰλεῦντα, κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα.
Post hunc , Orionem ingentem animadverti
Feras simul venantem per pratum , ubi asphodelus nascitur.

Non sunt heic fidi interpretes , qui reddunt , *per floridum pratum* . Et XXIV , vers. XIII , XVIII:

. . . αἶψα δ' ἵκοντο κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα,
Ἔνθα τε ναίουσι ψυχαί, εἴδωλα καμόντων.
Εὗρον δὲ ψυχὴν Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος,
Καὶ Πατροκλῆος, καὶ ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο,
Αἴαντός θ', ὃς ἄριστος ἔην εἶδός τε, δέμας τε

Τῶν

NOVEM MUSARUM IMAGINES AD ARAM DELIACAM.

XX

Phœbus habet templum: in medio 1. *Ara est Delia: vota*

1 *Pro*

Τῶν ἄλλων Δαναῶν, μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.

... *statimque pervenerunt in pratum, ubi asphodelus nascitur,*
(rursus peccant interpretes, *per herbosum pratum*)
Ubi habitant animæ, simulacra mortuorum.
Invenerunt autem ibi *animam Pelidæ Achillis,*
Et Patrocli, & strenui Antilochi,
Aiacisque, qui optimus erat specieque, corporeque
Aliorum Danaorum, post strenuum Peliden.

Recte Suidas: Ἀσφόδελος, τὸ φυτόν. Ἀσφοδελὸς δέ, ὁ λειμών. Ἀσφόδελος. *Planta, quæ vocatur asphodelus.* At ἀσφοδελός, *pratum, in quo asphodelus nascitur*. Et paullo post: προπαροξυτόνως δὲ ἀναγνωστέον.

Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ. τὸν δὲ τόπον, ἐν ᾧ φύεται, ὀξυτονητέον· ὡς καὶ παρ' Ὁμήρῳ. Κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα. *Scribendum est* (ἀσφόδελος) *cum accentu in antepenultima* (Hesiodus:)

Neque sciunt quam suaviter & jucunde malva, & asphodelo vivatur. At cum significat locum, in quo asphodelus nascitur, scribendum est cum acuto in ultima, ut apud Homerum: In prato, in quo asphodelus nascitur. Ἀσφοδελὸς Homeri est idem ac τῷ ἀσφοδέλῳ κατάφυτος ut distincte loquitur Lucianus *De Luctu* tom. II, pag. CCCI: περαιωθέντας δὲ τὴν λίμνην ἐς τὸ εἴσω, λειμὼν ὑποδέχεται μέγας, τῷ ἀσφοδέλῳ κατάφυτος. *Jam eos qui transmissa palude sunt ingressi, pratum amplum excipit asphodelo consitum.* Et in Menippo seu Necyomantia tom. I, pag. CCCXXXII: εἰπόμην δ' ἐγὼ κατόπιν ἐχόμενος αὐτοῦ, ἕως πρὸς λειμῶνα μέγιστον ἀφικνούμεθα, τὸ ἀσφοδέλῳ κατάφυτον. *Ego autem pone, ipsi adhærens sequebar, quoad in pratum quoddam maximum, & asphodelo consitum pervenimus*. Hinc Asphodelus, ut ad rem notat ibidem Suidas, est planta *Proserpinæ, & Manibus sacra: & Rhodii Proserpinam, & Dianam asphodelo coronant*: Περσεφόνης, καὶ χθονίων (φυτὸν) ἱερόν. καὶ Ῥόδιοι

τὴν

1 *Pro te Musarum nuncupat alma cohors.*

τὴν Κόρην, καὶ τὴν Ἄρτεμιν ἀσφοδέλῳ στέφουσι.

1 *Ara est Delia*) Jamblichus *De vita Pythagoræ* cap. V sect. XXV edit. Kusteri: λέγεται δὲ περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον θαυμασθῆναι αὐτὸν περὶ τὴν Δῆλον, προσελθόντα αὐτὸν πρὸς τὸν ἀναίμακτον λεγόμενον, καὶ τοῦ Γενέτωρος (rectius legas καὶ τὸν τοῦ Γενέτορος) Ἀπόλλωνος βωμὸν, καὶ τοῦτον θεραπεύσαντα. *Eodem tempore & Delus admirabatur Pythagoram: cum ille scilicet ad Aram incruentam Apollinis Genitoris accederet, eamque coleret.* Hanc Aram ipse Medicinæ, & Poëseos inventor Apollo, quum suis civibus Deliis, dum a peste vexabantur, duplari imperasset, toto terrarum orbe celeberrimam reddidit, ob geometrarum conatus, quos refert Eutocius Ascalonita commentario in librum secundum Archimedis *De Sphæra & Cylindro* pag. XII . . . . XXIII edit. Basil. MDXLIIII. Notatu sunt digna, quæ de confugientibus Deliis ad Platonicos Academiæ geometras Eratosthenes in epistola ad Regem Ptolemæum scribit, apud eundem pag. XX: μετὰ χρόνον δέ τινά φασιν Δηλίους ἐπιβαλλομένης νόσου κατὰ χρησμὸν διπλασιάσαι τινὰ τῶν βωμῶν ἐπιταχθέντας, ἐμπεσεῖν εἰς τὸ αὐτὸ ἀπόρημα. διαπεμψαμένους δὲ τοὺς παρὰ τῷ Πλάτωνι ἐν ἀκαδημίᾳ γεωμέτρας, ἀξιοῦν αὐτοῖς εὑρεῖν τὸ ζητούμενον. *Tempore autem quodam post ferunt Delios, quum a peste vexarentur, jussos per Oraculum duplare quandam Aram, in hanc difficultatem incidisse, implorantes autem eos, qui tunc apud Platonem erant in Academia, postulare, ut quæsitum ab eis inveniretur.* Hæc autem Ara erat Cubica, ut ait Plutarchus *De Genio Socratis* pag. DLXXIX edit. Francof. MDCXX. & Duplicatio Cubi, vere dixerim, est illa altera Penelope, quam tot antiqui Sapientes proci, immo & ipse Plato, si fides Eutocio, qui pag. XIII ejus exhibet tentamen, deperierunt. At Plutarchus ibidem testatur Platonem rem ad Discipulos retulisse, & Deliis, quid sibi vellet Oraculum, explicasse: ἡμεῖς δὲ καὶ τότε λέγειν καλῶς ἡγούμεθα τὸν Χόνουφιν, καὶ μᾶλλον ὑπηνίκα κομιζομένοις ἡμῖν ἀπ' Αἰγύπτου, περὶ Καρίαν Δηλίων τινὲς ἀπήντησαν, δεόμενοι Πλάτωνος, ὡς γεωμετρικοῦ, λῦσαι χρησμὸν αὐτοῖς ἄτοπον ὑπὸ τοῦ θεοῦ προβε-

βλημένον. ἦν δὲ χρησμὸς, Δηλίοις καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι παῦλαν τῶν παρόντων κακῶν ἔσεσθαι διπλασιάσασι τὸν ἐν Δήλῳ βωμόν· ὅτε δὲ τὴν διάνοιαν ἐκεῖνοι συμβαλεῖν δυνάμενοι, καὶ περὶ τὴν τοῦ βωμοῦ κατασκευὴν γελοῖα πάσχοντες, (ἑκάστης γὰρ τῶν τεσσάρων πλευρῶν διπλασιαζομένης ἔλαθον τῇ αὐξήσει τὸν στερεὸν ὀκταπλάσιον ἀπεργασάμενοι, δι' ἀπειρίαν ἀναλογίας, ἣ τῷ μήκει διπλάσιον παρέχεται) Πλάτωνα τῆς ἀπορίας ἐπεκαλοῦντο βοηθόν· ὁ δὲ, τοῦ Αἰγυπτίου μνησθεὶς, προσπαίζειν ἔφη τὸν θεὸν Ἕλλησιν, ὀλιγωροῦσι παιδείας, οἷον ἐφυβρίζοντα τὴν ἀμαθίαν ἡμῶν, καὶ κελεύοντα γεωμετρίας ἅπτεσθαι μὴ παρέργως. οὐ γάρ τοι φαῦλον οὐδ' ἀμβλὺ διανοίας ὁρώσης, ἄκρως δὲ τὰς γραμμὰς ἠσκημένης ἔργον εἶναι, καὶ δυοῖν μέσων ἀνάλογον λῆψιν· ᾗ μόνῃ διπλασιάζεται σχῆμα κυβικοῦ σώματος, ἐκ πάσης ὁμοίως αὐξόμενον διαστάσεως. τοῦτο μὲν οὖν Εὔδοξον αὐτοῖς τὸν Κνίδιον, ἢ τὸν Κυζικηνὸν Ἑλικῶνα συντελέσειν, μὴ τοῦτο δὲ οἴεσθαι χρῆναι ποθεῖν τὸν θεὸν, ἀλλὰ προστάσσειν Ἕλλησι πᾶσι, πολέμου καὶ κακῶν μεθεμένους, μούσαις ὁμιλεῖν, καὶ διὰ λόγων καὶ διὰ μαθημάτων τὰ πάθη καταπραΰνοντας, ἀβλαβῶς καὶ ὠφελίμως ἀλλήλοις συμφέρεσθαι. *Nos & tum Chonuphis sententiam probavimus, & magis etiam cum nobis ex Ægypto avectis, & circa Cariam navigantibus, occurrerunt Delii quidam, qui a Platone, utpote rerum geometricarum perito, flagitarent Oraculi explicationem, quod insolens ipsis Deus edidisset, Erat autem Oraculi hæc sententia: Deliis, & aliis Græcis, calamitatum finem fore præsentium, si Aram, quæ in Delo erat Cubica, duplicavent. Cujus cum sententiam assequi non possent, & in Altaris structura ridiculum quid ipsis contigisset; singulis enim ex quatuor lateribus duplicatis, spatium solidum octuplo imprudentes auxerunt, ignoratione proportionis, qua duplicari magnitudo posset; Platonis opem in hac difficultate explicanda imploraverunt. Ille vero Ægyptii illius recordatus, ludi a Deo Græcos dixit, qui eruditionem negligerent, eorumque insultari inscitiæ, mandarique, ut serio Geometriæ operam darent non enim ingenii leviter aut segniter perspicacis, sed in tractandis lineis maxime exercitati opus esse, datis duabus lineis, alias duas, quæ continua proportione inter has intercedant, invenire: quæ quidem unica sit Cubi duplicandi ratio, ex æquo omnibus ejus auctis dimensionibus: rem iis ab Eudoxo Cnidio, (qui* Pla-

Platonis fuit auditor, ut ait Laertius lib. VIII, segmento LXXXVI) *aut ab Helicone Cyziceno confectum iri. Neque vero Deum hanc Aræ duplicationem requirere, aut desiderare: sed universis præcipere Græcis ut bellis & miseriis ea comitantibus vitatis, Musis sese dedant, ac litterarum & doctrinæ usu sedatis animi turbulentis motibus, innoxie & utiliter inter se conversentur*. O præclara verba divini Philosophi, & æterna memoria dignissima!

2 *Pro te*) Pro tua salute, Vir præstantissime, qui publico bono natus, & a Sapientissimo Rege nostro CAROLO Judex electus in mago Neapolitano Dicasterio jus suum cuique tribuis. Vale carum caput, & me amare pergas.



INDEX.

JOSEPHI AURELII DE JANUARIO

CARMINUM LIBER I.

MAGISTRATUS.

CARMINUM LIBER II.

NUPTIALIA.

CARMINUM LIBER III.

VARIA.

In

In Nundinis ann. MDCCXLVIII.

In

FINIS.

163







